I. N. D. N. J. C.

DISSERTATIO JURIDICA
DE
LAMIIS
EARUMQVE PROCESSU CRIMINALI,
Quam
AUXILIANTE DIVINA GRATIA
CONSENSU & AUTHORITATE
MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS IN
ILLUSTRIBUS ATHENIS SALANIS
sub
PRÆSIDIO
Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi atque Excellentissimi

DN. ERNESTI FRI-
DERICI Schröter/
HEREDITARII IN Wickerstädt/ JCTI ET ANTECESSORIS HUJUS SALANÆ FAMIGERATISSIMI, CONSILIARII SAXONICI, CURIÆ PROVINCIALIS, FACULTATIS JURIDICÆ ET SCABINATUS ASSESSORIS LONGE GRAVISSIMI,
DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS ATQVE
PROMOTORIS SUI NULLO NON
honoris & observantiæ cultu sanctè devenerandi, colendi,
Publicæ Eruditorum censuræ subjicit,
MICHAEL PARIS Walburger/
Grœbzigâ Anhaltinus
In Acroaterio ICtorum ad diem 1. *Mens. Maij. An.* 1670.

JENÆ, Literis JOH. JACOBI BAUHOFERI.

PARI
sine
VI

MAGNIFICIS, GENEROSA
MAXIMEQUE

DN. GEBHARDO
PARIDI A VVERDER

SERENISSIMI AC CELSISSIMI
PRINCIPIS AC DNI.

DN. IMMANUELIS

PRINCIPIS ANHALTINI &c. &c.
INTIMÆ ADMISSIONIS CONSILIARIO SPLENDIDISSIMO,
UT ET
RERUM PROVINCIALIUM SUBDIRECTORI GRAVISSIMO
HÆREDITARIO DOMINO IN
Gröbzigk und Bißperoda etc.

DOMINIS SUIS, PATRO
OPTUMIS
S.

Inter tria illa §. 3. Inst. de J. & J. recensita
cum illud, quô optima Juris ac Æqui Magistra Na
bus: Ex hoc enim ceu fœcundô solô cætera virtu
cum æstumo, neminem invenio, cui hoc quic
offerat jure, quàm VOBIS MAGNIFICI GENE

VIRORUM
pari
RIS
NOBILITATE ILLUSTRIBUS
STRENUIS

DN. PARIDI
AVVERDER

SERENISSIMI AC CELSISSIMI
PRINCIPIS AC DNI.

DN. JOHANNIS GEORGII

PRINCIPIS ANHALTINI &c. &c. &c.

CONSILIARIO LONGE EMI
NENTISSIMO,

HÆREDITARIO DOMINO IN

Werdershausen/Reinsdorff/Reupzigk und Bresen
NIS AC MECÆNATIBUS
MAXUMIS
D.

generalia Juris principia, ſummæ dignitatis occupat lo-
ura *ſuum cuique tribuere* religiosâ ſeveritate omnibus edixit mortali-
um decora felici ſuccreſcunt proventu. Penſius hæc quando me-
ui eſt conatuum, præpotens gratiſſimæ mentis impetus, potiori
OSISSIMI VIRI, quos æquali eminentiſſimarum virtutum jugô,

Ampliſſi-

574, 215

Ampliſſimorum honorum faſtigiô, arctiſſimô conſanguinitatis fœdere propitium conſociavit Numen. Nam ut maximam terrenæ felicitatis partem VOBIS dilectiſſimi mei Parentes acceptam referunt, ita duplici debitorum nexu VOBIS me obſtrictum eſſe prolixè fateor. At ne blandius hæc quàm verius in VOS dicta videantur, ampliſſimas MUNIFICENTIÆ VESTRÆ laudes conſultius ſilentii peplô involvam, quàm ut easdem anguſtiſſimâ hac coarctarem paginâ, eò quod verear, ne harum pondere, quas meruiſtis, obrutus, magis ingenii mei imbecillitatem detegam, quàm veſtrarum virtutum ſplendorem, ſicuti par eſt, adumbrem. VESTRIS igitur Auſpicatiſſimis NOMINIBUS paupertini ingenii mei partũ, aut abortum potius negligenti celeritate excluſum in ſignum gratæ mentis ſuſcipiendum offero, in ſummô beneficiorum poſiturus genere, ſi VESTRA Authoritate, quâ orbem illuſtratis, quod hujus perfectioni deeſt, ſupplere non dedignati fueritis. Ita enim à malevolorum dicteriis vindicatum iri nullus ambigo. Quod reliquum, Æternum Numen ſupplicibus venerabor precibus, jubeat Fata ſuum tueri officium, atque VOS MAXUMI PATRONI cum Familiis Prolibusque Maſculis in utriusque perantiqui ſtemmatis VVerderiani ulterius incrementum, quàm diutiſſimè ſalvos ſoſpitesq; præſtare. Deus VOS Patriæ columina ſervet, VESTRA ſalus noſtra ſalus, verè dicit Juratus dicit,

Dabam Jenæ è
Muſeo Id. Maij
A. MDCLXX.

cum Veteranis Imperatori Aug
Conſtantino *in l.* 1. *C. de Vet*
ran. acclamantibus

Veſtrarum Magniff. Generoſit
devotiſſimus
Cliens ac Servus
Michael Paris Walburg

PROOEMIUM.

Odioſum, fateor, à natura accidit hominibus ad ambas usq; aures vitiis immerſis, actiones eorũ ſub æqvum virtutum examen vocari: Odioſum iisdem eſt, injuſtas eorum actiones ad juſtitiæ ſtateram expendi: Magis autem odioſum eſt delicta & crimina eorum Nemeſi deſtinare. Adeò ut cenſuram vitiorum ſuorum æquô animô ferre velit nemo. Aſt de iſthoc odiô vulgi, qui juſtitiam, ejusque comitem pœnas, è Republ. ad ultimam Thulen relegatas cupiunt, Judex non deſes nec reſupinâ cervice tantum titulum gerens, *uti vocatur in L.5.C.de cuſtod. reor.* non minus laboret, quam de ranis paluſtribus; Sed ſubditorum, quibus præeſt, actiones vitioſas corrigat, ut honeſtè vivant, injuſtas refrænet, ut alterum non lædant, & ſuum cuique tribuant, §.3. *de I. & I.* delicta, & crimina publica juſtâ animadverſione vindicet. Cum Reipubl. interſit, ne delicta maneant impunita *l.13.ff. de Off. Præſid.* Virtuoſis verò actionibus præmia proponat ampla, ut ad majora audenda invitentur. Verùm, quoniam in civili gubernatione, (quæ omni ætate, maximè verò hac

noſtra vitiorum (ſi ulla fuit alia) præferaci, magis in pœnâ infligenda, quam præmiô diſtribuendô conſiſtit,) cuſtodiendâ & conſervandâ fermè utramque paginam faciunt leges pœnales, quæ non abs re anima & ſpiritus vitales Reipubl. audiunt. Has enim ſi è Republ. tollas, mirâ metamorphoſi, ſumma imis, & ima ſummis miſceri videbis.

Quæ cum ita ſint, ſummâ, hortatu Sacratiſſ. Imperat. *in proœm. Inſtit.* §. 7. ope & alacri ſtudiô quilibet leges illas (pœnales puta) accipiat, & ſe ipſum ſic eruditum reddat, ut ſpes ipſum pulcherrima foveat, & poſſit etiam Rempubl. in partibus credendis rectè gubernare.

Quem in finem in Almâ ac Illuſtri LL. matre & Nutrice Salanâ hâc, à Sereniſſ. ac Celſiſſ. Dominis Nutritiis, Amplisſ. Facultati Juridicæ, cupidam legum juventutem criminalia cum curâ docendi munus quondam demandatum fuit. Quorum clementiſſima mandata *Magnificus Dominus Præſes, JCtus & Anteceſſor famigeratiſſimus*, Patronus ac Præceptor meus ætatem colendiſſimus, digerit, perſequitur, & Deô propitiô conficiet. Tanti igitur ſtudiorum meorum ducis & Præceptoris veſtigiis inhærens, auſus fortè meos (niſi me amor ſuſcepti laboris fallit,) in materia juris Criminalis difficili pariter ac neceſſaria, atrô cal-

calculô notabit nemo, ſi quorum mihi ſancta ſemper videri perſona debet *Ulpian. in l. 9. ff. de Obſ. Parent. & Patron. præſtand.* quorum refragari obſequiis fas non eſt *l. ult. C. eod.* juſſu, Thematis locô in arbitrium meum pure collati, præſentem criminalem materiam, de LAMIIS, quarum hæreſis per totam fermè Europam deplorandis incrementis gliſcit, in noſtra cathedrâ Juridicâ vix antehàc ventilatam, in judiciis autem & Scabinatibus frequentiſſimam, pro ingenii modulo & materiæ ſublimitate, quæ etiam Magni Nominis JCtos, & Judices verſatiſſimos in examinandis LAMIIS torſit, paucula, eaque obſervatu digna; initiò quidem de Lamiarũ Naturâ & Poteſtate, ac deinde de ordine judiciario in hoc crimine ſervando, prout conſvetarum diſputationũ anguſti cancelli concedunt, diſſerere allaboravero. Tu autem edecumati candoris Lector, ne fortè religioni tibi ſtatuas haſce pagellas perluſtrare, propter parum religioſas formulas, quæ aliàs impiis Diaboli inſtrumentis ſolennes ſunt; ſcias velim me illas, & ſuperſtitioſa artium Diabolicarum fundamenta cum anilibus deliramentis, pro piô ac pudicô, (ut me collaudem) ingeniô non expreſſiſſe, ſed ſaltim leviter attigiſſe, & pro JCtorum inſtitutô ſcelus indicaſſe, ac pœnas ſceleribus à Legibus ſtatutas expreſſiſſe & retuliſſe.

Quandoquidem verò tum demum benè universa geruntur & competenter, si rei principium fiat, decens & amabile Deo *Novell. 6. pr.* In Nomine Domini nostri Jesu Christi, in cujus nomine aliàs ad omnia consilia omnesque actus semper progredimur *l. 2. pr. C. de off. præf. prætor. Affr.* ad præsens institutum accessum faciens animo manibusque ad cœlum erectis, æternum ejus auxilium humillimè invoco *l. 1. pr. & §. 2. l. 3. pr. C. de V. I. E.* ut ille, in quo unô mihi spes, qui nobis animæ dat salutem, laboris mei velit esse non solùm principium, sed etiam medium & terminus *Nov. 109. pr.*

DISPUTATIONIS JURIDICÆ DE LAMIIS

CAP. I.

Præmittens quæstionem præjudicialem An *Dentur Lamiæ, & an pœnis sint dignæ?*

§. I.

Priusquam de LAMIIS ulteriorem disquisitionem instituamus, quo ansam dubitandi omnem, quâ mihi per totum hunc discursum L. B. aures vellicare posses, præcidam, lubet excutere Quæstionem: An dentur Lamiæ, & an pœnis sint dignæ? ne quis putet, me circa ea

ea occupatum fuisse, quæ in rerum naturâ non existunt, & pœnas iis statuisse, qui potiùs miseratione, quam pœna digni sunt.

§. II. Quemadmodum nullum vitium inter Mortales tam grande datur, quod non plurimorum, proh dolor! patrociniis defendatur; Ita & hoc hæreseos crimen, suis non destituitur Patronis; Inter quos familiam ducit Johan. Wierus Medicus Germanus, cujus Præceptor fuit Cornelius Agrippa, Magorum sua ætate princeps, qui semper secum habuit canem nigrum, quem Dominum vocavit, *quod statuit Joh. Bodin. in tract. d. Magor. Dæmonomaniâ L. 2. c. 1. p. m.* 104. Et *ipsemet VVierus haut obscurè fert Lib. 2. de Præst. dæm. cap.* 5. ut proinde ex ungve de Leone judicium instituere non sit difficile. Qui Wierus, nescio qua fronte, pro Lamiis *pecul. Lib. de Lamiis*, tanquam pro aris & focis pugnat: Statuendo, Lamias reverà non existere, sed saltim quicquid illis vulgò tribuitur, esse vanissima commenta, vel potius mendacia Poëtarum, quibus quidlibet audendi semper sit æqua potestas. *dic. tr. Lib. de Lamiis c.* 5. *& in tract. de præstigiis Dæmon. L. 6. c. 24. p. m.* 747. Nec Mosis nec Christi tempore unquam fuisse striges, dicta sacræ scripturæ in planè diversum ac damnatum ab Interpretibus fermè omnibus sensum detorquendo *dict. tract. de præst. Dæmon. L. 6. c. 24. p. m.* 741. Non esse eas instrumenta & organa dæmonum, qualia vulgò putantur *Id. ibid. p.* 762. sed miseras istas anus, mirâ vafritie diaboli per somnia & imaginationes quasdam melancholicas delusas, speciem quandam magiæ præ se ferre, in rei veritate autem illis nihil inesse, quod hæresin sapiat. Ac propterea concludit *VVierus d. l. p. m.* 785. Lamias potius commiseratione, quàm pœnâ dignas esse, cum iniquissimum sit, eas de Maleficiis Satanæ pœnas dare, graviterque peccare judices, quos carnifices & lanios non dubitat appellare, qui ex falso principio, veneficas ad ultimum supplicium condemnant; fore enim ut istius condemnationis supremo Judici Deo rationem durissimam reddituri sint, quare consultius esse *dicit d. tract. c. 26. p.* 787. ut judicium de lamiis Deo solummodò permittatur, cum Magistratus Politicus animum & cogitationes hominum cernere nequeat.

VVierus patrocinatur lamias.

Commiseratione non pœnâ dignæ lamiæ.

§. III. Verùm quis tam oculis captus est, qui non videat,

VVierus similis M. Guilielmo Theol. D. qui pactus cum diabolo erat.

Joh. Wierum cum Aſſeclis ſuis tam maſculè defendendo Lamias, ſtrenuum Satanæ Proxenetam agere & manus Judicis metu religionis hunc in finem conſtringere voluiſſe, ut in diaboli naſſam eò copioſiorem animarum numerum alliceret, ac ſe hâc in re aſſimilaſſe (quod Bodin. in confutat. ipſi objicit) M. Gvilielmo Linienſi Theologiæ Doctori & concionatori celebri accuſato Magiæ criminis & condemnato anno 1453. die 12. Decembr. qui inquiſitione confeſſus fuit, in pacto cum diabolo inito (quod in ſcriptis apud ipſum fuit inventum) ſe expreſsè obligaſſe, quod pro cathedrâ ſacrâ velit docere, & auditoribus demonſtrare (uti etiam fecit) quicquid de magis vulgò dicitur, fabulam eſſe, non poſſe fieri, nullam fidem ſermonibus iſtis haberi oportere, & crudele factum eſſe ad mortem damnari magos: Hoc pacto, affirmavit ille, Magorum punitionem ceſsaſſe, regnumque Satanæ, augeſcente in infinitum Magorum numero, fuiſſe conſtitutum.

VVierus refutatione non indiget ſed refutatur.

§. IV. Quapropter ejus argumenta nulla amplius refutatione digna cenſeo, cum ab ipſis Legibus, tum divinis, tum naturalibus, Gentium & civilibus, ſed etiam ab ipſa experientiâ totius fermè Europæ, ſatis ſuperque convellantur. Sacrum Codicem dum adimus, ſtatim videmus Exod. 22, 16. Deum una quaſi fideliâ duos dealbando parietes bimembrem hanc quæſtionem decidere, hancce in lamias capitalem ſententiam ferendo: Die Zauberinnen ſollen nicht leben laſſen. Et Levit. 20, 27. Vir ſeu mulier, in quibus eſt ſpiritus pythonicus vel divinationis, morte moriatur, lapidibus obruent eos, ſanguis eorum ſit ſuper illos. Ex quibus textibus & aliis pene multis, ſole meridiano clarius patet, eſſe omninò in rerum natura lamias, & pœnæ capitali ſubdendas. Si enim fabula eſſet, quicquid de Lamiis ſtatuitur, ſine dubio fontem omnis ſapientiæ hoc non latuiſſet. Sed ut aquam ad ſuum molendinum derivet Wierus, ad fontem Hebraicum Exod. 22, v. 16. recurrit, in quo habetur vocula *Mechaſſephim*, quam reſtringendam eſſe putat ad ſolos venenarios, h. e. qui veneno tantùm generi humano cladem afferunt, & excludit ab hâc lege eos, easve, qui præſtigiis utuntur, *id. in lib. de Lamiis c. 4.* Verùm illius impia reſtrictio jam dudum à Rabbinis, Moraliſtis ac Theologis etiam noſtri ævi, pedibus eſt con-

ex Jure divino.

Fons hebraic.

conculcata, qui unanimi consensu statuunt, illud vocabulum non ad veneficos tantùm, qui scil. toxicô propinatô vitam violant, sed etiam omnes, qui præstigias aliis offundunt, esse restringendum; *Joh. Georg. Godelman in tr. de magis, venef. & Lamiis L. 3. c. 11. n. 6. Martin. Delrio disquisit. Magic. lib. 1. cap. 2. Frideric. Balduinus in casib. conscient. lib. 3. cap. 5. cas.* 13. Qui eleganter hoc modo concludit. Omnes ergò Magos & Sagas lex divina jubet interficere, seu præstigias offundant, seu divinationibus utantur, seu quoquô aliô modo proximo noceant, aut nocere velint. Et ista lex in populo Dei semper in viridi fuit observantia, quod testatur exemplum *Pythonissæ* in *Endor*, quæ formidabat Regem *Saulem*, qui memor legis divinæ magiam sub pœna capitis in universo suo regno prohibuit, 1. *Sam.* 28. *Balduini conclusio.*

§. V. Jus Naturæ & Gentium Mores si rimamur, certè deprehendemus, Lamias fuisse, & pœnis capitalibus esse subjugatas. Plato enim purus putus Ethnicus, quem ne radii quidem Juris divini affulserunt, solius naturæ ductu *lib.* 11. *de Legib.* mortis pœnam in sacerdotes & aruspices decrevit, qui sacrificiis, ligaturis, incantationibus aliisve sortilegiis hominem enecaverint. Nec apud veteres Romanos Magiæ crimen, cujus species est Lamiarum professio, impunè fuisse testantur historiæ passim. Persarum Gens, de quibus *Plutarch. in Apopht.* scribit, crimen Magiæ, cui tamen origo omnis magiæ adscribitur, adeò rigorosè in puniendis Magis versata fuit, ut Magi caput in amplo lapide impingerent, rursusque alio super inducto, illud effringerent. *Godelman. de Mag. L. 3. c. 11. n. 15. VVier. de præst. dæmon. L. 6. c. 24.* In Gallia & Hispania quod dentur sagæ & puniantur, testantur abundè *Joh. Bodin. JCtus Gallus in tract. de Magor. dæmonomonia, & Martin. Delrio in disquisit. Mag. L. 5. Appendic. pag.* 818. ubi ex actis Judicariis Episcopi Beluacensis refert, Johannem Daream à Parisiensi Universitate publicis literis apud Henricum Angliæ Regem Sortilegii & Maleficii accusatam fuisse, & *p.* 120. ubi duo extracta in consimili casu, ex libro Viri Clarissi. Florimundi de Remundis Consiliarii Regii Senatus Burdegalensis verbis Gallicis habet. In Italia quod non desint Lamiæ earumq; pœnæ, demonstrat *Paulus Chirland JCtus Italiæ clarissimus in tract.*

ex Jure Nat. & Gent.

Parsarum gens.

Gallia & Hispania.

Italia.

tract. de Sortilegiis quæst. 7. n. 28. ubi trium ſagarum tortarum examinibus intereſſe anno 1524. ab Abbate Monaſterii S. Pauli de urbe apud regionem Sabinam ſummis fuit rogatus precibus.

ex Jure Civili.

§. VI. Nec Jus noſtrum Civile Lamias ignorat, impunitasque dimittit. Siquidem illæ omnium Interpretum ſuffragiô complectuntur ſub textibus his manifeſtis de puniendis Maleficis conceptis, nimirum *ſub §. item lex Cornel. de Sicariis 5. in fin. verſu. Eadem lege. Inſt. de Publ. Jud. l. cætera 4. §. 1. ff. Famil. Herciſc. l. nemo aruſpicem 5. §. fin. verſ. etenim ſupplicio capitis. l. nulla aruſpex 3. in med. verſ. Illo aruſpice l. multi magicis 6. ſub fin. l. etſi excepta 7. ſub fin. verſ. ſi verò convictus fuerit C. de malefic. & mathemat. l. ejuſdem legis 3. §. legis Cornel. 5. l. ex ſenatus conſultô 13. ff. ad L. Cornel. de ſicar. & venefic. Nov. Leon. 65. ibiq; D. D. Johan. Harprecht. in d. §. 5. J. de publ. judic. n. 253. & ſeqq. Herm. Vult. in dict. §. 5. n. 8. Paul. Ghirland. in tract. de ſort. quæſt. 21. n. 5 Brunneman. ad Tit. C. de malefic. & mathemat.* His textibus J.C. annumeratur in terris Imperii Conſtitutio Crim. Caroli V. *art.* 109. In terris Saxon. Landrecht *L. 2. art.* 13. *Conſtit. Saxo-Elect. Conſtit. 2. part.* 4. ubi itidem pœna capitalis Lamiis eſt conſtituta.

ex Jure Carolinô. Saxonicô.

ex Jur. Canonicô.

Nec Jus Canonum, quod aliàs mitiorem ſententiam amplecti ſolet propter morſus conſcientiæ, hâc de re prorſus tacet, ſiquidem contra Lamias, quas ſceleratas mulieres *in cap. Epiſcopi §. illud etiam. c. 26. quæſt. 5* vocat, diligenter inquirere, easque juſtitia mediante punire & compeſcere jubet *Alexandr. VI. & alii in cap. 1. 2. 3. 4. 5 & 6. De maleficis & incantatoribus lib 7. decretal.* Si qua ejusmodi hominum genus inveniatur, velut Chriſti inimicos illud ſtrictâ ultione corrigi volunt, *per c. pervenit. c. quicunq; §. fin. c. nec mirum. cauſſ 26. quæſt 5. c. admoneant. 76. quæſt. 7.*

ab Experientiâ.

§. VII. Experientiam ſi in medium producere vellemus, crediderim, nullum Scabinatum in Germaniâ, actorum inquiſitionalium, in puncto Veneficii contra ſagas, ad pronunciandam ſententiam transmiſſorum expertem: Nullum judicem rebus Criminalibus præpoſitum facilè inveniri, cui non crebrò ejusmodi inquiſitiones & examina lamiarum ſe offerant. Adeò ut Naves exemplis repletas è terris aliô ſole calentibus huc ſubducere: Et plauſtra præjudiciis Scabinatuum in noſtris terris latis onuſta in con-

conſpectum agere liceret, niſi à ſcopô noſtrô videretur alienum. Sufficiat nobis in præſentiarum obtinuiſſe, Lamias ſeu Sagas non eſſe entia rationis aut σιδηρόξυλα; Cur enim de iis leges ſcriptæ eſſent? cur pœnæ in eas eſſent ſancitæ? ſi nullæ unquam extitiſſent. Certè à Solone ſapientiſſimô illô Athenienſium legislatore, cum quæreretur, cur nullam adverſus parricidas legem ſcripſiſſet, reſpondit: Quod neminem unquàm parricidam fore ſuſpicaretur. Ita ſi non eſſent in rerum naturâ Lamiæ, Legumlatores noſtri tam dementis animi non fuiſſent, ut in pœnis iis irrogandis multùm deſudaſſent. Neq; enim de iis rebus, quæ non ſunt, leges promulgantur. Ex quô concludimus, pœnam qualificatam absq; ſubjectô eſſe non poſſe, ac proinde poſitâ veneficii pœnâ, poni vel potiùs præſupponi ſubjectum, veneficum aut Lamiam puta, pœnam veneficii recipiens, neceſſe eſt. Qualis autem pœna ſagis ſit infligenda, *infra c. 9.* demonſtrabitur, hoc locô in genere oſtendiſſe ſatis ſit, eas à pœnâ non eſſe immunes.

Lamiæ non ſunt σιδηρόξυλα.

CAPUT II.

eruens

Lamiarum

Etymologiam, Homonymiam & Synonymiam.

§ I.

Cùm potior in Jure noſtrò rerum, verborum verò prior habenda ſit ratio *l. 41. ff. de jur. dot. l. 7. §. 2. ff. de ſuppellect. leg.* prælibatis ſummis labris in Quæſtione præjudiciali rebus, primaria nunc cura me tangit Nominis, ne in limine mox deficientes fœdam & rerum & Nominum incurramus confuſionem *l. 5. C. de Legit. Tutel.* LAMIARUM Etymologiam, Homonymiam & Synonymiam pro more diſputantium ſolenni enodandi.

Prima Cura nominum.

§. II Ἔτυμον quod concernit; Sunt qui putant, vocem *Lamiarum* natales ſuos debere Latio, & derivari à verbo *Lanio*, quaſi quod ſcindant & lanient, *Penotus*. Sed hæc derivatio videtur latiuſculè

Etymologia.

ſculè paulò eſſe petita. Sunt qui quidem rectè natale ſolum hujus vocabuli Græciam eſſe putant & deſcendere à voce λαμὸς, quæ ſignificat ingluviem, à piſcis ſeu etiam feræ genere, quod habet magnum guttur, ut pueros ac homines integros deglutire poſſit. Verum iſti acum inveniſſe mihi non videntur, cùm potius deſcendat à vocabulo λαμία λαμίας, quod fuit nomen Beli & Libiæ filiæ, formoſæ & inſignis veneficæ, cujus Horatius in Art. Poëtic. mentionem facit p. m. 280.

Neu pranſæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvô.

Jacobus Cellar. & Nicol. Höniger in dictionar. Græco Latin. voce λαμία. Ab hac muliere poſteà omnes larvæ, lemures, ſpectra & phantaſmata dæmonum, quoniam plerumq; ſub ſpecie formoſarum mulierum hominibus apparebant, ut juvenes amore erga ſeſe captos perderent & devorarent, Lamiæ ſunt appellatæ, *Beom. de Orig Lat. ling. voc. Lamiæ. Godelm. lib. de Lamiis c.* 1. Etſi autem harum Lamiarum denominatio ad anus veneficas noſtri temporis non quadrare videtur, quoniam reverà ſpectra non ſunt, Interim tamen, quoniam & noſtræ lamiæ cum ſpectris ac dæmonibus convivantur, collodunt, negotiantur, libidinem exercent, & aliis hominibus nocent, infantes necant, propter ſimilitudinem, quam cum antiquis Lamiis habent, rectè ſunt vocatæ LAMIÆ; *Thom. Erastus de Lamiis.* Et hæc vox poſteà latinitate eſt donata, ut ex ſuprà citatô verſu Flacii conſtat.

Homonymia §. III. πολύσημον quodſpectat, illud anguſtis admodum cancellis includitur, ſiquidem præter ſuprà memoratas fœminas, larvas & lemures, etiam piſces è planorum genere, feras λὸν τὸ ἔχειν μέγαν λαμὸν, & Familiam Romanam vetuſtam in Æliâ gente denotat, uti apparet ex Horat L. 7. Od. 17. ad Ælium Lamiam, quem ad genium merô curandum hortatur:

Æli; vetuſto nobilis ab Lamô,
Quando & prioris hinc Lamias ferunt
Denominatos &c.

Synonymia. §. IV. Ordine ſic jubente ſuccedit Συνώνυμον Gaudet autem rubrica hujus diſſertationis variis ſynonymis. Wierus ut eò facilius Lamias ſuas, utiloquitur *tract. de Lam.* excuſet, diſtinctionem facit inter Magos, veneficos, maleficos, iucantatores & Lamias.

Mar-

Martin. Delrio autem *disquisit. Magic. L. 5. sect. 16.* pro iisdem & Synonymis sumit veneficos, maleficos, incantatores, sortilegos, lamias, sagas & striges. Sed utut sit, licet quoad ordinem processus inquisitorii servandum & pœnam infligendam, inter hæc crimina non magna videatur esse differentia, quin tamen, quoad formam obligationis diabolicæ & professionem artium nocivarum, inter illos & has, aliqua supersit differentia, qui definitiones invicem accuratè examinat, fortè inficias ibit nemo. Proinde pro veris Synonymis magos & alios non agnoscimus: sed potius statuimus lamiarum Synonyma esse (1) in lingua latiali, *sagæ* à sagiendô, *striges* à strige, ave nocturnâ & infaustâ: *Veneficæ*, à veneô *thessale*, à Thessalia Græciæ regione sagarun feraciſſimâ. Quæ appellationes omnes ex optimô latini sermonis autore puroq; scriptore Horatiô Flacc. *lib. 1. Carm. Od. 27. lib. Epod. Od. 17. lib. 1. serm. satyr. 8.* possunt observari. (2) In lingua sancta, *Lilith*, *Es. 34. v. 14.* à voce *Lail*, quæ noctem significat. Et Jerem. *Thren. c. 4.* Lamiæ nudaverunt mammas, quod B. Lutherus vertit, die Drachen reichen die Brüste ihren Jungen. *Exod. 22. v. 16.* habetur vox Ebræa *Mechassephim*, quam interpretes vertunt, per præstigiatricem. (3) In nostrâ vernaculâ, Hexen, Zauberinnen, Wetternmacherinnē, Unholden qs. ohne Huld/oder denen niemand hold ist. *Besold. in Thes. Pract. voce.* Hexen. in quibusdam locis Trutten/auch Wirckherseu/von Sächsischen Wicken/quod idem est als wahrsagen/ idem ibid. In silesia vocantur Bielwetseu. Gallis, *Sorciere.*

Synonyma ex linguâ latina

ex Linguâ sanctâ.

ex Linguâ vernaculâ.

ex Linguâ gallicâ.

CAPUT III.

pertractans

Lamiarum Definitionem, exindeq; propullulantes naturam Lamiarum concernentes quæstiones.

Cùm in præmissis de Lamiarum existentiâ egerimus, propior & facilior nunc erit transitus ad earum essentiam, Deo testante Philosophô 7. *Metaph.* omnium optimè se aperit

erit in enucleatâ definitione. Hinc Baldus in *L. fine. 5. C. de bon. quæ liberis* eleganter dicit, quod illud dicatur ineſſe, quod conſtat ex ſuô definitô. Quare quò & de noſtrarum lamiarum eſſentiâ conſtare Lectori queat, definitio prius erit proponenda. Definiri poſſunt hôc modô: LAMIAE ſunt fœminæ, (*quæſt. 1.*) quæ ob fœdus cum Diabolo initum (*quæſt. 2.*) ejus inſpiratione tempeſtates ac tonitrua excitant, (*quæſt. 3.*) hominum pecudumq; internecioni & exitio ſtudent, (*quæſt. 4.*) item ſynagogas diabolicas, ad quas in furcâ, baculis, aliôve inſtrumentô breviſſimô temporis ſpatio feruntur, viſitant, totam deinde noctem ludis, commeſſationibus, choreis conſumunt, (*quæſt. 5.*) ac nefandam cum ipſo dæmone libidinem exercent, (*quæſt. 6.*) milleq; rerum monſtra & ludibria pertentant. *Beſold. in theſ. Pract. voce.* Hexen, *Ghirland. de ſortileg. Godelman. de Lam. L. 2. cap. 1 n. 14.*

Lamiarum Definitio.

§. II. Hanc definitionem, ſi quis ad leges exactæ definitionis expendere velit, ingenuè fatemur, eam deſcriptionis potiùs, quàm accuratæ definitionis titulô eſſe mactandam. Siquidem regulis & virtutibus bonæ definitionis, quas Philoſophus requirit, non reſpondere videtur. Aſt quoniam ab officiô definitionis nihil amplius deſideratur, quàm ut eſſentiam definiti declaret, & quandoq; defectum ad amuſſim exaſciatæ definitionis, rei definiendæ aliqualis ſupplet deſcriptio, quæ in eſſentiâ rei declarandâ cum definitione ſæpe paria facit. Ideò & nos D D. tramitibus inſiſtentes Lamiarum deſcriptionem ab iis traditam ſuprâq; poſitam, locô definitionis pertractabimus, ac minutatim, quoad fieri poteſt, per quæſtiones exponemus. Sit ergo.

Hæc non eſt accurata definitio ſed ſaltem deſcriptio

QUÆSTIO I.

Cur plures ſint fœminæ veneficæ, quàm viri venefici?

§. I. Licet virorum veneficii criminis labe affectorum, rerum criminal. Scriptores volventi, non exiguus ſe offerat numerus: Majorem tamen mulierum ſacris hiſce Satanæ operantium ubiq; gentium offendimus numerum. Cauſas quærenti, illæ haud deſunt. Adſcribunt nonnulli cauſas iſtius labis providentiæ Dei, qui,

Providentia Dei non eſt cauſa.

qui, ſicut facultatem Satanæ concedit plerumq; in creaturas ignobiliores, ut porcos, *Matth.* 8. *v.* 31. ſerpentes, muſcas & ſimiles, graſſandi: ita & peſtilentiſſimam artem magicam à ſequiore ſexu exerceri permittit. Et hanc rationem, cum partim impietatem quandam, quaſi ſexus fœmineus per Dei æternum decretum huic malo ſit deſtinatus, foveat, ac per conſequens igni adjudicatus; partim cùm in ſexum fœmineum, comparando cum porcis, ſerpentibus & muſcis paululum inclementer dictum ſit, & confirmare videatur Hebræorum proverbium: *Quo plus mulierum, eò plus ſagarum eſt*: Meritiſſimè rejicio. Nonnulli brutas cupiditates, queis frænam injicere neſciunt mulieres, cauſantur, quæ eò fœminas vindictæ cupiditate inflammatas adigunt, ut, quod propriô Marte præſtandi impares ſunt, ad hoc in effectum deducendum dæmonis auxilium, qui vindictæ ac cædis amans haud difficulter annuit, ſibi exemplô Junonis apud Maronem, advocent, quæ omnes inferos irâ erga Æneam peſſimè invocat:

Vindictæ cupiditas eſt quædam cauſa.

Flectere ſi nequeo, ſuperos Acheronta movebo.

Unde rectè *Quintil. in declamat.* dixit: Se latrocinium in virô (*qui apertô Marte hoſtem aggredi non reformidat*) faciliùs, in fœminâ (*quæ viribus deſtituta per cuniculos, quem odit, invadit*) veneficium credere. Ghirlandus *de ſort. q. 7. n. 31.* è plurium ſagarum confeſſionibus ſe accepiſſe dicit, fœminas ſe dæmoni dedere propter explendam libidinem carnis, quam aliô modô non poſſent absq; ignominiâ ſatiare: iſtô enim modô capiunt delectationem cum dæmone, & complent absq; eô quod contra eas inſurgat infamia. Quæ rationes licet non omninò ſunt contemnendæ, nobis tamen melior juriq; conformior arridet. Paſſim enim in juribus divinis & humanis maxima fragilitas ſexui fœmineo attribuitur, *uti ex pluribus ſcripturæ locis demonſtrare in promptu eſt. Princ. Inſt. quib. alienare lic. vel non*: ut etiam earum conſilium plerumq; adverſus commoda propria laborare inveniatur, *l. ſi pactum 4. in fin. C. de Sponſal. c. forus 10. de V. S.* Et fœmina facilitate labitur, *c. Adam 18. c. mulier ſeq. cauſa 33. quæſt. 5.* Ut adeò non ſit mirum, ſi diabolus mille rerum artifex, qui hominum temperamenta & inclinationes ad unguem calleat, illi ſexui maximè inſidietur, quem novit eſſe fragilem, facilè decipi, ſic & apprehendi poſſe: & ex illô maximè iis perſonis laqueos

Libido eſt cauſa.

Veræ cauſæ ſunt Fragilitas ſexus.

Paupertas. queos struat, quæ propter paupertatem vitam tolerare vix possunt, quæque propter turpem Sacramentorum abusum & contemtum, in gravem offensam Divinæ Majestatis se se incurrisse de remissione desperant, deq; Dei salutaribus promissionibus, amore erga se & auxiliô, quod lapsis promittit, diffidunt. Talem animô, quasi eas neglexerit Deus, neq; afflictos tueatur, concipiunt sententiam. Hæc dum secum cogitant, infert se septus quasi nebulâ, mirabile dictu, diabolus, formam Angeli lucis sæpe assumens, promittit auxilia, promittit media sublevandæ inopiæ, montes aureos, ut ajunt, pollicendo, pecuniam nonnunquam offert. Quibus promissis miseras mulierculas, quæ aliàs à naturâ avaritiæ student, inescare solet Diabolus, ut fidem, imò sese totas ipsi mancipent, Quô factô illis tanquam instrumentis, advaria damna hominibus & eorum bonis eò faciliùs inferenda, abutitur. Nam

Sacramentorum abusus.

Promissiones Diaboli.

Non audet stygius pluto tentare quod audet,
Effrenis Monachus, plenaq; fraudis anus.

Reddunt tandem D D. hanc rationem, eum in finem à Diabolô mulieribus poni insidias, ut earum blandis delinimentis Mariti & liberi ad artes diabolicas discendas pelliceantur, & ita in plagas suas, quas aliàs evitassent, eos pertrahat. Quod stratagema sæpies non sine effectu tentasse, loquuntur lapsus Adami & historiæ passim, sagas sæpius à Diabolô urgeri, ut libros suos, præprimis fœmini sexus, ipsi adducant, elocent & obstringant. *Vide ulter. Paul. Ghirl. de sortil. q. 5. n 5. & 6. Ioh. Georg. Godelm. de Mag. l. 1. c. 7. Lampert. Danæ. in Dialog. de Sortiariis c. 2.*

Filiarum desponsatio.

QVÆSTIO. II.

An lamiis reverà pactum cum Dæmone intercedat?

Pactum vel expressum est vel tacitum.

§. I. De hâc quæstione acriter D D. inter se digladiantur: Negativam tuentur Patroni sagarum: Affirmativam verò rectiùs amplectuntur sanior Doctorum, & Theologiæ & Juris pars: Ac distinguunt, inter pactum *expressum & tacitum. Expressum* vocant, quando Lamiæ scienter expressis verbis aut scriptis Deo creatori suo renunciant, seq; ministerio Satanæ addicunt, ut ille sui [illegible]uram vicissim

Expressum. iterum vel Publicum.

vicissim in omnibus habeat. Et hoc expressum iterum divid it Jodoc. Damhouder. *in prax. criminal. 16. n. 12. & seq.* In pactum *publicum & privatum*. *Publicum* seu solenne est, quod sit cum Dæmone dublicè in Majestatis suæ soliô principum more, residente an universales congregationes omnium strigarum & maleficorum necromanticorum & cujuscunq; generis professorum, certis nocturnis horis, locis & temporibus dæmonis arbitriô constitutis. *B. Petr. Theodor. in coll. crim. disp. 7. t. 3. lit. G.* *Privatum* verò, quod sit cum ipsô dæmone pactô expressô, & cum juramentô, citra ullas tamen sollennitates, & extra hominum cœtum. *Tacitum* est, quando Lamiæ absq; fœdere de Christô abnegandô expressô, cum Dæmone commercium ac consvetudinem habent, & ministerio ejus utuntur, scientes superstitiosis & diabolicis observationibus adhærent. Vel ut *Damhouder. d. l.* brevibus definit: Quando non cum ipsô Dæmone propriè pacta est lamia, sed cum dæmonis ministeriô.

vel Privatum.

Tacitum.

§. II. Horum pactorum *causas efficientes* constituimus *principales*, Diabolum impellentem, & Lamias consentientes. Diabolus enim, postquam variis mundi voluptatibus, suffarcinatis pollicitationibus rusticanarum ac incautarum mulierum ora sublevit, antequam votis & postulatis earum annuit, fidelitatem ac homagium, ne imposterum in iis juvandis in cassum laboret, sibi præstare jubet. Nec mora, jussa libentes malè sanæ excipiunt, fidemque cum detrimentô fidei salvificæ dant. *Instrumentales* ponimus sermones, quibus cogitata proferunt paciscentes, & manus, quibus aut instrumentum obligationis componunt lamiæ, sangvineque propriô subsignant, aut si literas nesciunt, solâ stipulatâ manu diabolo promittunt, aut si legere norunt, manus ipse ducit. In dubium vocat hoc pactum Wierus, propterea, ut stipulatio verè non possit hic intercedere, cum Diabolus sit spiritus corpore, linguâ, manuq; carens, qui extensâ manu firmâq; stipulatione Lamias recipere non potest, nec vicissim iis quicquam promittere valet, cum sermone destituatur. Verùm cui non ex sacris historiis notum est, bonos juxta ac malignos spiritus, sibi cum opus est, corpus adspe-abile ex aëre, aut aliunde formare posse, ut, id *αὐτοκελευστως* efficiant, quod volunt. Sermonem quod sibi fingere, licet non naturalem, quea- historia Adami, *Gen. 3. Iob. 4.* & ipsius Christi *Matth 4.*

Causæ efficientes principales.

Homagii præstatio

Causæ instrumentales.

Diabolus corpus assumere potest.

locuples

locuples testis est. Olaus Magnus scribit, frequentissimè in regionibus singulis ad Boream sitis spiritus spectari humanâ formâ, qui tangunt hominum dextras, posteaq; evanescunt, *Bodin. in consut. VVier. p. m. 440.*

Materia pacti.

§. III. Materia circa *quam* pactum versatur, sunt facta impia, illicita, res turpes, inhonestæ, etiam quæ videntur naturâ impossibiles ac toti generi humano perniciosæ. Neq; enim quicquam boni à malô spiritu proficisci potest: Quotquot enim pacta sagarum cum diabolis inita in historicis & criminalisticis perlegi, tendunt ea semper admalum finem.

Forma pacti.

§. IV. *Formam* hujus pacti reponimus in consensu & modo promittendi. Consensus uti in aliis Juris Civ. pactis, liberesse debet, non vi, metu extortus: Ita in hoc, cum diaboli pactô, consensus lamiis est relictus liberrimus, nec ullâ externâ vi compelli potest, adeò, ut in librô arbitriô earum positum sit, & consentiri, & contradicere. Dicit quidem Wierus, diabolum sagarum consensum ac voluntatem blanditiis primùm ac promissis, postmodum verò minis morte gravioribus impetrare, & propterea eas excusandas esse. Verùm nec propterea consensus earum erit coactus dicendus, cum debuissent ab initiô aures in modum sociorum Ulyssis cerâ verbi divini obdurare, nec admitere ejus illecebras. Quin hâc ratione omnia facinora excusationem mererentur, quorum nullum sit, nisi ex persuasione, interdum etiam impulsu diaboli. Cur non resistunt tentatori? Cur tam libenter auscultant? Primus namque ad peccandum gradus est admittere suggestiones diaboli, & sub spe ac specie alicujus boni in Peccatum ruere, *Frid. Balduin. in cas. consc. lib. 3. cap. 5. cas. 13.* Intercedit ergò & est lamiarum consensus in hôc pactô liberrimus, quia nullâ diaboli externâ extorqueri potest vi. Consensus verò lamiarum est vel *expressus* vel *tacitus*, prout pactum vel expressum vel tacitum. In pactô expressô expressus etiam consensus est necessarius, qui declaratur vel verbis claris, instrumentô obligationis datô, subscriptione, aut etiam relatione in atrum catalogum. De quo exemplum sagæ in civitate quâdam Imperiali refert *Christ. Besold. in suo thes. Pract. voce* Hexen; quæ confessa est, daß der böse Geist ihren Nahmen in sein schwarz Buch eingeschrieben, ihr auch zu dem Ende zween Finger in

lamiarum est liberrimus,

nullô modô coactus.

Consensus vel est Expressus

den

den rechten Daumen Finger gethan / und Blut / so viel zu solchem einschreiben von nöthen / heraus gelassen. Vel etiam stipulatione, ut suprà dictum. *Tacitus* consensus colligitur in pactô tacitô interviſſe, quando mulier Satanæ in omnibus obtemperat, diabolicis artibus delectatur, easque exercet, & Sacramenta Eccleſiæ contemnit. *vel Tacitus.*

§. V. *Modus paciſcendi* traditur à Doctoribus varius. Damhouder. *in prax. Crim. cap.* 61. *n.* 115. dicit, hanc profeſſionem lamiarum fieri quandoque iisdem ſolennitatibus, quibus hodiè conſpicimus fieri veras & ſolennes profeſſiones monachorum & monialium in religione Chriſti, ubi ad vitam monaſticam degendam abnegant mundum, cum ſuis univerſis oblectamentis præſtigiariis: Ita hæ contrà, abnegatô Deô, deſertô Chriſtô Servatore noſtrô, ac renunciatâ fide, cum contemtu Baptiſmi ac reliquorum Eccleſiæ Sacramentorum, unicè dæmoni adhæreſcunt, cui ſeſe totas devovent, & ſpontaneâ obedientiâ conſecrant, cum arctiſimô juramenti ſacramentô. Adeò ut hinc jure efficiantur ipſius ſubditi, (& ut ita loquar) dæmonis Vaſalli conjunctiſſimi. *Hæc Damhouderius.* Hôc modô & tam fœdô in ejus mancipium receptis lamiis, Satan jam notam imprimit, vel dentibus, vel ungvibus, vel manu, & liberè eas effari jubet, quid à ſe fieri expectent, docetque tutiſſimas & occultiſimas ſui ulciſcendi, ſi quos oderunt, vias. Sæpè etiam nova Satanæ famula in ſui obſequii fidem, perendiè poſt pactum conventum (forſan ad imitandum Sacrificia Veteris Teſtamenti) aliquid de bonis ſuis offert & donat Patrono: Quædam canem ſuum, quædam gallinam, aliæ felem ſuum, *Lambert. Danæus in Dialog. de Sortiar. cap.* 4. Impreſſionem verò notæ, volunt quidam non in omnibus neceſſariam eſſe, ſiquidem illas ſolùm ſignat, quas metuit, ne cultum ſuum deſerant; Quæ autem ex animo ſe ipſi tradunt, & quas ſtare novit promiſſionibus, his non indit ſignum. Certiùs tamen veriusque dixerim, dicit *Danæus d. loc.* neminem ex earum ordine eſſe, cui non impreſſerit diabolus ſui in eam juris & poteſtatis aliquod indicium & veſtigium, quod ut facilè agnoſcant rerum capitalium & hujusmodi ſcelerum Judices, id imprimis curant, poſtquàm illæ captæ fuerint, ut totô corpore tondeantur novaculâque abradantur, ne fortè ſub pilô corporis celetur hoc ſtigma. *Hinc Petr. Gregor. in Synt. J. Un. lib.* 34. *cap.* 21. *n.* 10. teſtatur, quod Tholo- *Modus paciſcendi varius.* *Stigma diab. lamiis imprimit.*

400. *sacæ notatæ.*

sæ anno 1577. plus quàm quadringentæ veneficæ reæ pertractæ sint, quarum pars Vulcano sacratæ, pars aliis tormentis sublatæ vel emendatæ fuerint. Et quod mirum est, *dicit*, omnes ferè à Diabolô notam inustam certô locô habebant. Quale autem judicium ex hoc stigmate contra sagas oriatur, infrà *cap.* 8. § 7. se aperiet dicendi campus. Pactum autem est restrictum nonnunquàm ad certum tempus, nonnunquàm ad incertum. Ad certum est, quando lamiæ se ei ad certos obligant annos, cujus exemplum habet *Carpzovius in Prax. Crim. Part.* 1. *Quæst* 50. *in sentent. Scabin. Lipsiens. n.* 28. ubi saga se obligaverat ad sexennium in verb. **Worauff sie ja gesagt / und sechs Strichel mit ihrem Blute geschrieben / iedes Strichel habe ein Jahr bedeuten sollen.** Ad incertum tempus, quando lamia non adjectô tempore ad vitæ tempus se obligat; Cujus exemplum habet idem *Carpzov. d. l. n.* 29. **daß sie mit dem Teuffel eine Verbündnis / aber nicht auff eine gewisse Zeit / auffgerichtet.**

Pactum vel ad certum

vel incertũ tempus.

Finis ex parte Satanæ est Cultus

§. VI. *Finis* hujus pacti ex *parte Satanæ* est, *partim* cultus, qui ex eâdem Satanæ superbiâ subpullulat & erumpit, quâ olim se Deo suo æquare cupiens solium suum in Oriente indignè conabatur evehere, quò Creatori suo appareret æqualis. Quâ quidem superbiâ nondum extincta, dæmon, Dei sui adorationis æmulator strenuus, ab hominibus quoque pari ritu adorari se patitur & concupiscit. Hinc lamiæ quo majori cultu dæmonem in sacrificiis oblatis colunt & adorant, cæteris sunt ipsi chariores, adèò, ut nihil ab ipsô petant, quod non illicò assequantur. Cujus adorationis cultum ab ipsô Christô *Matth* 4. desideravit; *Partim* ut generi humano, quod radicitus extinctum cupit, noceat, ac animas servorum suorum lucretur. Quod autem Satanas operâ hominum ad homines affligendos utatur, ac non potius suô marte absq; eorum adjumentis noceat, reddunt rationem Theologi hanc: Diabolo nempe in primô lapsu vires nocendi sic esse ademtas & cohibitas, ut nisi accedat nova aliqua voluntas seu consensus hominis malefici, non possit inferre noxam. Si enim suæ permissus esset licentiæ in nos vel nostra sæviendi, exitialia prorsus damna cottidiè foret præstiturus. Unde *B. Lutherus in Psal.* 121. *quod, ait, potentiam hujus hostis attinet, credo eum posse occidere unâ horâ quicquid hominum in terrâ vivit; Igitur Deus vallavit nos & domos nostras per circuitum,*

& nocendi hominib. studium.

Causa cur per homines ledat Satanas.

circuitum,

cuitum, Job. 1, 10. Et *dimisit angelos in circuitu nostrô, Ps.* 34, 7. Non igitur potest furere Satan pro lubitu, sed vel à Deo impetratâ potestate, vel consensu hominis, (à quô aliàs Deus permittit lædi vicinos homines) elicito. Finis *ex parte Sagarum* est, ut voluptatibus mundanis frui, & cupiditatibus cæteris morem gerere queant, diabolô ipsis media & opem subministrante, *Damhoud. in prax. Crim. cap.* 61. *n.* 115. *& seq.*

Finis ex parte Sagarum.

§. VII. Supereſt, ut de *effectu* pactorum disp iciamus, qui maximè occupatur circa obligationem personarum) si ita loqui licet) inter se paciscentium. Lamia vi pacti *expressi* arctissimè adstringitur ad omnia servitia diabolo præstanda, omnia enim nocendi genera, à Magistratô suô edocta, tentanda sunt, etiamsi illæ eò non inclinent, tamen sæpissimè à Diabolô urgentur, nec quietem capere possunt scelestissimæ nisi noceant; Cujusmodi exemplum refert Bodin. *d. tract. lib.* 1. *c.* 4. *ubi ancilla fassa est, se minimè quietem capere posse, nisi quotidiè quid mali committeret, saltem ut vasculum diffringeret: Sed cum hera ipsius frangentem de industriâ vas terreum deprehendisset, tum rem confessa est, & addicta morti, quia dicebat, nullam sibi omninò quietem esse, nisi aut enectô homine aut perpetratô malô.* Et pactum hoc cum diabolô expressum tàm firmis nexibus lamias vinculat, ut vix exceptione sese tueri valeant, nec præstando interesse à contractu semel inito & omnibus numeris perfecto, pœnitentia posteà ductæ resilire facilè queant. Adeò ut Theologi, licet non in totum, de salute æternâ, propter earum pactum Deo renunciativum, desperent, moti dictis sacræ scripturæ omnibus peccantibus & convertentibus gratiam promittentibus, *Rom.* 5, 20. 1. *Joh.* 17. 1. *Joh.* 2, 2. sub quorum dictorum complexu universali, haud dubiè lamiarum pacta veniunt censenda: Cum magnâ tamen difficultate lamiarum conversionem ac liberationem è vinculis & nexibus Diaboli conjunctam esse asserunt, quia ejusmodi homines Filium Dei ejusque sangvinolentum meritum pedibus conculcant, lavacrum Baptismatis, per quod regeneratæ sunt, abnegant, ejurant, ac in nomine diaboli reiterant, Spiritum Sanctum blasphemant, cultum verò Deo debitum in diabolum transferunt, ac ita organa ac media salutis, sine quibus remissio peccatorum obtingere nemini potest, contra proprium cordis ac conscientiæ

Effectus pacti expressi est obligatio lamiarum.

Lamiæ à pactô præstando interesse, non liberantur.

Lamiarum conversio difficilis.

testimonium hostiliter oppugnant, ac contumelia afficiunt. Cui difficultati se agglomerat & hoc, quod licet signa veri doloris vultu ostendant, cor tamen sæpissimè longissimè abest, & quicquid moderatores conscientiarum ex verbo divino in aures ipsis ingerunt, externè quidem audiunt; ast diabolus, qui pœnitentiam earum ægrè fert, suis suggestionibus ei contradicit & fabulas esse prædicat. Ut hinc de tali pœnitudine rectè illud Augustini dici queat; Sera pœnitentia rarò est vera.

Effectus pacti taciti.

§. VIII. *Effectus* pacti *taciti* ferè coincidit cum effectu pacti expressi. Ac licet pacta in jure nostro stricti juris sint *l. 7. §. quin imò 5 ff. de pactis ibique gloss.* strictamque recipiant interpretationem, & in his nihil, nisi quod diserte verbis comprehensum aut expressum est, actum intelligatur. *l. Si repetenti 7. C. de Condict. ob causs. dat. VVesenb. in par. ad ff. tit. de pactis n. 10.* nec contra mentem paciscentium debeant interpretari, multò minus illud in obligationem veniat, de quo paciscentes non cogitarunt. Callidus tamen veterator strictam illam interpretationem, vel non intelligens, vel contra omnia jura rejiciens, latissimè explicat pacta, & ad non cogitata extendit. Sic quando Lamiæ, aut alius quivis, superstitiosis artibus operam navant, v. gr. characteribus, signis, imaginibus, carminibus, scripturæ dictis ad morbos curandos, verbis sive bonis sive malis, sive quid significantibus, sive nihil denotantibus, vel planè peregrinis utuntur, quæ in se & suâ naturâ nihil efficiunt, operantur, & sic nullam quoque vim medicandi sive nocendi habent; (Omne enim principium, quô alterantur corpora, qualitas est, quantitatum verò nulla est efficacia.) Quando spiritus immundos, ut adsint ad ministeria, per precatiunculas quasdam evocant, tempestates cient, fata transferunt, pulveres liminibus ad necandas pecudes subjiciunt, aut alia mala pertentant: Etsi pactum expressum, quô Deo renunciârunt, seque diaboli ministerio addixerunt, cum eô non habeant; tum tamen has artes superstitiosas exercent, & iis oblectantur, vel insciæ cum Dæmone colludunt, ac tacitè cum eo paciscuntur, adversarii Christi & ministri satanæ efficiuntur. Hinc eleganter in hanc rem dicit *Frideric. Balduin in cas. Conscien. lib. 3. c. 5. cas. 3 p. m. 727.* Quod in specie attinet verba ignota, nihilque significantia, si quid valent, ex pacto cum dæmone

Diabolus latissimè explicat pacta.

Characteres nihil per se operantur.

Verba nihil significantia

ne valent. Ipse enim verborum illorum nobis ignotorum autor & inventor est, apud quem omnia ejusmodi nomina, nobis nihil significantia, aliquid significant. Efficaciam ergò habent, si Deus permiserit, non ex naturali ratione, sed ex vi majore, seu ex pacto & conventione diaboli cum eo, qui primus disciplinam illam ab eo accepit, quem, ut omnes eos, qui disciplinam illam posteà mirantur & tractant, ita illusionibus suis fascinat dæmon, ut per verba ea fieri existiment, quæ ipsô autore perficiuntur. Adeò ut si alius, qui non est dæmonibus pactô & deditione devinctus, etiamsi res ad maleficandum convenientes noverit, simul & operandi modum signa omnia exhibeat, rarissimè tamen tentanti succedet effectus. Propterea quod eum inter suos familiares dæmon non connumeret, ut suis mysteriis non initiatum. *Damhouder. in Prax. Crim. c. 61. n. 136.*

dæmoni aliquid significant.

Absque pactô maleficiis utens raro effectum sentit.

§. IX. Effectum hujus pacti ab altero latere, diaboli nempe, si conferimus cum effectu pacti lamiarum, videmus, miseras mulierculas ad omnia, quæ imperat ipsis diabolus, obligari. Ipsum verò vicissim vi pacti, ad promissa data præstanda, nullô vinculô obligationis, postquàm semel à Deo abduxit, obstringi ac teneri, nisi sponte velit promissa implere, quæ tamen sæpius per illusionem & obstructionem sensuum præstantur. Promittit enim lamiis pecunias ad familiam lautiusculè exhibendam, quæ tamen atrum panem ex jure hesterno avidissimè fame conditore vorare, aut omninò famem quercu solari, coguntur. Promittit divitias & opes Crœsi, cùm tamen nulla unquam saga auxiliô diaboli divitiarum fulgore tumida superbierit. Inficias eundum non est, magnos in sinu terræ thesauros esse abditos, eorumque sedes satanæ esse cognitas, ut in proclivi sit dæmoni, sinum famularum suarum istis replere. Contrarium tamen experientia docet, diabolum thesauris humi conditis mancipios suos non impertiri, sed fame fermè emori, & panem à plurimis ostiatim quæri, sinere: Idque ex justo Dei judicio, à quo omnis benedictio & bonorum copia, mediante labore ac prece, profluit, qui neutiquàm committit, ut diabolus promissas divitias servis suis præstet, cum alioquin in suam massam, hâc escâ objectâ, plurimos fuisset pertracturus. Et licet quandoque, ut ex confessionibus illarum compertum est, plenam

Diab. ad præstanda promissa non potest cogi.

Promissiones divitiarum sunt vanæ.

auri & argenti manum à Satanâ accepti crumenæ inferant, ex intervallo tamen loculos inaniis ac fœno aut aliis fragmentis oppletos fruſtrà viſitârunt. *Bodin. lib. 3. c. 3.* Promittit miſeris in vinculis & carceribus conſtitutis liberationem e compedibus, cùm tamen ſæpiuſculè ipſe carnifices manus, laqueô colla miſerarum implicando, in carceribus inferat. Has & ſimiles pollicitationes vanas colligere licet ex ſententiis *Scabin. Lipſ. à Carpz. prax. Crim. par. I. Q. 50. n. 66.* adjectis. Quas ob res, ſi ita ſe habeant, (ut Profectò ſe habent) Si inquam diabolus neque ditare, neque theſauros abditos offerre, neque à rogô aut vitæ diſcrimine lamias tutas præſtare; ſed ultionem ſolummodò inimicorum ſuorum, nec tamen omnium, in hâc vita ſuppeditare valeat. Quod obſecro malum, gravius excogitari poteſt, quàm pro tantillâ remuneratione in hâc vitâ incertâ; hominem in tale pactum cum Diabolô deſcendere, ſe totum ei mancipare, & æternam Beatitudinem, cum æternâ damnatione, in alterâ vitâ commutare.

Promiſſio liberationis è carceribus doloſa.

Concluſio deteſtans pactũ.

QUÆSTIO III.

An ſagæ earumq; artes, Dæmonis ſuffragiô, inducere pluvias, grandines, fulgura & magna tonitrua excitare, excitata quando ingruunt removere & facere ut ceſſent, queant?

§. I. Primâ fronte dicendum videtur quod non: quia Deus autor tempeſtatum eſt, *dat ipſe vehementiſſimum imbri curſum, & viam ſonantis tonitrui: mittit fulgura & eunt, & reverentia dicunt adſumus Job. 38 25. ipſe fecit ventis pondus i. e. modum præſcripſit, quantum ipſis ſævire liceat: Sunt enim miniſtri ejus, & ſuæ voluntatis executores in hominum commodum & damnum. Ipſe ventis imperat, quemadmodum ſuô exemplô docuit Chriſtus ſedans & ſtatim tranquillans turbatum ventis mare Matth. 15. & aliis ſcripturæ locis quàm plurimis.* Adeò, ut à ſagis nec unica guttula aquæ gigni queat. Verùm, ſi non ſolis hominibus aut ſagis, ſed Dæmonibus, vi pacti conventi illis junctis, permitteote Deô, vires excitandi nonnunquàm tempeſtates adſcribimus, forte honore divinam Majeſtatem, quam ſupplicibus veneramur precibus, debito non defraudabimur. Cum plurima paſſim in ſacris literis tribuantur Deo,

Deus autor eſt tempeſtatum.

Non ſolæ ſagæ ſed cum dæmoniorum auxiliô excitant tempeſtates.

Deo, quæ tamen conſtat, humanas vires non ſuperare: ut percutere, occidere, ſanare; quamvis non unô eodemque modô. Deus enim omnia facit, ut cauſa efficiens principalis, independens & univerſalis: Creaturæ verò ut cauſæ efficientes particulares, dependentes ac minus principales. Sic Diabolus *Eph.*2,2. Princeps aëris appellatur, non quaſi aërem condiderit, aut in aëre habitet, ſed quia jam conditum, permittente Deô, movet, turbat, & in eô meteora ſæpenumerò inuſitatô tempore producit, grandines immittit, fulmina in tectorum hominumque perniciem emittit. Poteſt enim ut peritiſſimus Phyſicus, hujusmodi aëris perturbationes ſæpius ex cauſis naturalibus, vel congregatis in cavernis montium vaporibus, mineralibus aluminoſis, nitroſis, vel ex aquâ & terrâ vaporibus ſulphureis mirâ celeritate & inuſitatô tempore ad petitam à ſagis regionem accitis, ibique accenſis, Vulcanicâ arte fabricari. Et haſce vires Diabolo eſſe tribuendas, non tamen pro lubitu exercendas, ſed Dei juſſu & permiſſu, (aliàs jam dudum periiſſemus) vetant nos dubitare exempla S. Scripturæ *Job.* 1, 16. & 19. Ubi fecit Satanas ignem de cœlô decidere, & abſumere ſervos & pecora Jobi; Excitat quoque ventorum vim, quæ filios ac filias ejus hilariter convivantes ruinâ ædium oppreſſit. Exod. 9, 18. Ubi ærugine fruges, grandine vineæ & arbores Ægyptiorum perditæ fuerunt. Quam calamitatem Ægyptiis per Angelos malos eſſe immiſſam expreſsè dicit *Pſal.* 78, 49. Apocal. 7, 1. quatuor ſe offerunt Angeli ſtantes ſuper terræ angulos ventorum flatus impediturі, & ſic damna viventibus illaturi maxima. Quos fuiſſe genios Alaſtores plerique ſanctorum cenſuerunt. *Divus Clem. l. 4. Hieronym. in Eſa. lib. 7. D. Auguſt. lib. 5. contra Julian. c. 3. & Strab. in Apocal.*

Diab. poteſt ex cauſis naturalib9 tempeſtates excitare.

Exemp. Jobi.

Exempl. Ægypt.

§. II. Cùm igitur demonſtratum, Dæmones (præſuppoſitâ permiſſione divinâ) elementa concutere, inducere ventos, pluvias, fulgura & grandines excitare poſſe. Et verò tam arcta amicitia & peſtifera ſocietas lamiis cum Diabolô intercedit, ut quicquid ab eo poſtulaverint, ipſis non deneget; Mirum adeò non eſt, ſi Diabolus in gratiam mancipiorum ſuorum, fiduciâ pacti pendentium, procellas, intervenientibus eorum remediis ſuperſtitioſis excitet: Qualia ſolent eſſe, characteres certos ſcribere, herbas aut pi-

Sagæ medianti-bus certis

los

superstitiosis mediis movẽt tempestates.

los porcorum coquere, aquam scrobi effossæ infundere, silices post tergum in occidentem versùs ejaculari, arenam aquæ torrentis in aërem projicere, scopas in aquam intingere, Cœlumque versùs dissolutas spargere, & id genus deliramenta complura. Neque tamen sagæ propterea in turbandis elementis sese purè passive habent, quod vult Godelm. de Mag. & Venef. lib. 2. c. 6. n. 24. qui dicit: Se non credere lamias tempestates ac tonitrua excitare posse, intervenire quidem, sed horum nihil efficere posse. Ast errat Godelm.

Diabolus utitur sagis ut Synergis.

Diabolus enim, cum permissionem nocendi hominibus à Deo habet, ministris suis sagis utitur ut Synergis, non in ciendis tempestatibus solùm, sed & in procurandâ sterilitate, morbo, & aliis rebus noxiis. Quod inter cætera indè constat, quia sublatis sagis repentè cessant effectus isti noxii, quod *Bodin. in confut. VVier.* aliquot exemplis sagarum probatum dat, quarum una ad Laodunum

Lamiis exustis cessant mala ab iis illata.

cremata anno 1556. infirmabat homines, eosque mirificè distortos reddebat, bestias & fruges perdebat; sed ut primùm fuit exusta, cessaverunt hæc omnia Quod non fieret, si à solo Diabolo essent hæc mala orta, ut habet *Balduin. in Cas. Consc. lib. 3. cap. 5. Cas. 9.*

Affirmativa nostra probatur ex LL. 12. Tab. Cod. & Canon.

§. III. Ulteriùs affirmativam nostram, lamias tempestates movere posse, haut obscurè confirmant non solùm veteres Leges XII. Tabb. quæ pœnam statuunt iis, qui fruges excantarunt: sed & Imperatoriæ & Pontificiæ sanctiones *L. eorum 4. L. multi 6. C. de Malefic. & Mathem. & Bulla Innocent. VIII. contra Venefic.* Tam claris enim verbis dicit lex 6. *Multos magicis artibus usos, elementa turbare non dubitare*; Ut non ampliùs de hâc quæstione dubitandum videatur. Nihilominus tamen Wierus *de Lam. cap.* 12. quem se-

Intellectus l. 6. C. de Malef. & Math.

quitur *Godelman. de Mag. & Venef. lib. 2. c. 6. n.* 15. contendit, legem illam loqui exvulgari hominum sententiâ & magorum opinione, qui à Satanâ sunt persuasi, quod artibus suis elementa turbare possint. Verùm hæc interpretatio ex ipsius verbis Godelmanni anteced. infringi potest. Dicit enim, lamias per se id non posse, sed Cacodæmonis artibus subtilissimis, humanam experientiam excellentibus uti; Quod & nos volumus, nec diximus unquàm, Lamiam absque auxilio Dæmonis quidquàm tentare, auxiliô tamen & ope ejus adjutam multa effectui dare posse mala, si

Deus

Deus maximè permittit. Godelmanni ergo interpretatio erit intelligenda de magis absolutè & in consideratis, non verò quatenus se earum actionibus ac artibus immiscet Diabolus, quod vel inde liquet, quia numero 8. probat Pauli Ghirlandi opinionem his verbis: *Magis certè mihi placet Pauli Ghirlandi JCti sententia de Sortileg. Q. 6. n. 17. qui dicit: Tamen dicas, quod isti possunt Dæmonis industriâ inducere grandines & fulgura, & è conversò sic irruentia removere.* Quod autem semel placuit Godelmanno amplius ipsi displicere non debet *per notiss. Leg.* Non video insuper rationem, cur statuamus cum Godelmanno, Imperatores, Constantinum & Julianum olim ex vulgi imperiti opinionibus, de tempestatibus excitandis per motos legem condidisse capitalem in elementorum turbatores, si ea non possent reverâ misceri, cum experientia hodienum & complurium sagarum unanimis confessio doceat, ipsas quandocunque lubet, hæc posse efficere. Exemplis res fiet clarior. *In partibus Sveviæ Vilanus, cum per agros unà cum filiâ suâ, quæ vix octo annorum puella erat, erraret, segetemque contemplaturus dixisset: O si tandem pluviâ irrigaretur terra, puella audiens verba patris, ex animi simplicitate: facile, inquit, si pluviam desideras eam procura vero. Pater filiæ verba miratus, unde, inquit, ea tibi facultas est: Puella perfacile sibi esse subjicit, non solùm pluvias, sed & grandines & tempestates excitare: Idem enim se didicisse ex matre, quæ commiserit se Magistro, quem singulis horis ad quævis postulata præsentem habere possit, matrẽ autem prohibuisse, ne cui id revelaret. Pater territus, vidistine, inquit, magistrum istũ? ibi rursus puella, vidi, inquit, frequenter ad matrem introeuntes & exeuntes viros quosdam, quos mater ait, magistros esse & fautores nostros. Rursus ergo pater: an illâ horâ grandinem excitare posset, inquisivit? Maximè, inquit puella, si pauxillulum aquæ in promtu esset. Pater deduxit puellam ad torrentem; age, inquit, jam effice pluviam, sed quæ nostrum tantum modò agrum irriget. Nec mora, invocatô magistrô suô puella, id effectum reddidit. Pater id cernens, fac, inquit, & grandinem, sed tantùm super unum ex agris nostris, quod itidem cum præstitisset puella, pater de maleficiis uxoris suæ certior factus, eam apud Magistratũ accusat, & convicta mater sceleris*

Experientia.

Exemplum puellæ tempestates moventis.

leriũ, ignis supplicio addicta fuit. Puella in pietatis studiis exercita à satanæ cassibus erepta est. Lavater. de Spectr. lib. 1. p. m. 244. & Delrio Disquis. magic. lib. 2. Q. 11. Consimilia exempla recenset Bodin. *de Mag. Dæmon. lib. 2. cap. 8. p. m.* 214. quorum brevissimum adjicere non pigrabor. *Quædam saga agri Constantiensis, quæ cum videret omnes sui pagi incolas in nuptiis convivari & saltare, ægrè ferens, quod non fuisset eò vocata, se per Diabolum clarâ luce spectantibus quæ pastoribus curavit in colle exportari propinquum pago, & quia aquam non habebat, quam in scrobem à se effossam injiceret, ut cieret tempestatem, (nam hunc ritum fas sa est observari) emisit lotiũ, & illud in scrobe movens, sermones quosdam pronunciavit: mox cælô, quod sudum serenumq; fuerat, obscuratô, grando ingens solummodò in pagum & insultantes irruit, saga verò in pagum reversa est. Eâ itaque visâ, tempestatem ab ipsâ accitam fuisse crediderunt omnes, eâque captâ pastores pro testimoniô dixerunt, se vidisse, eum in aëre trani verberetur, quod illa accusata e vicinaque agnovit, & viva igni fuit tradita.* Ex quibus constat pro puris putis captionibus & præstigiis hactenus dicta non esse reputanda, quibus somniantium vetularum sensus Dæmon ludificat ac depravat *R. Petr. Theodor. in Colleg. Crim. Malleus Malef. part 2. cap. 15. Mart. Delr. dict. loc.*

Aliud exemplum cujusdam sagæ.

Sagæ possunt & tempestates removere.

§. IV. Ad alteram quæstionis nostræ partem. *An & revere tempestates queant sagæ?* eadem quæ supra allata sunt dubia moveri & hîc possent. Verùm brevitatis studiô lubens ea prætereo, cum iisdem adhibitis limitationibus expediri de facili queant. Pro decisione autem dicimus cum Paulo Ghirlando *de Sort. q. 6. n.* 17. Maleficos & sagas etiam posse ope dæmonis tempestates nocivas irruentes removere, & ita operari, ne segetibus ac terræ nascentibus frugibus officiant. Et propterea jura civilia nolunt, quod ille maleficus seu malefica puniatur, quando illorum effectus tendunt ad bonum & utilitatem per *L. 4. C. de Malef. & Mathem.* Si enim possunt inducere, possunt eas omninò & removere, cum contrariorum eadem sit ratio. Suidas scripsit, fuisse in Galeotide quendam, qui & morbos verbô pulsare, & anni temporum intemperiem sterilitatem & penuriam profligare sacrificiis quibusdam poterat.

l. 4. C. de M. & M. removentes non punit.

La-

Lavat. de Spect. p. m. 158. Empedocl. Agrigent. Magus inter alia de se scribit:

Et vicissim si vales, reduces ventos adduces,
Et Efficies ex imbre nigro tempestivam siccitatem
hominibus, & efficies ex æstivâ siccitate
flumina fœcunda, quæ in æstate spirant.

Cùm aliquando etesiæ ita vehementer flarent, ut fruges læderent, jussit asinos excoriari, & utres fieri, eosq; in promontoriis extendi, ut ventum exciperent, quô sopitô, appellatus fuit κωλυσανέμας, quasi ventorum cohibitor.

QUÆSTIO IV.

An Magiæ hominum pecudumq; morbos & mortes procurare valeant?

§. I. Cum præcedens quæstio & huic suum lumen fœneret, ideo eò breviores esse possumus. Diabolum enim permissu semper divinô, morbos generi humano varios ac damna infligere posse negari neutiquam potest. Licet negent, Avicenna, Galenus & eô teste Hippocrates, morbos ullos per dæmones mortalibus inferri posse. Non quod dæmones id velle non credant, aut quod eorum vim minorem esse censeant, quam hominum; Sed quia morbi ex naturalibus causis nasci possunt. Elumbis tamen hæc ratiocinatio est: Possunt morbi ex causis naturalibus oriri; Nequeunt ergo dæmones hominum ministeriô morborum irrogatores seu immissores esse. Hinc rectiùs Icum Theologis, JCtis, Medicis nostri ævi & Philosophis concludimus: Veneficos veneficasque ex Dei permissione & diaboli auxiliô varia morborum genera, tàm piis quàm impiis incantando, imprecando, fascinando, pharmaca arte magicâ præparata exhibendô, applicandô, effundendô, sublimina defodiendô, vel alio quocunq; modo usurpando, inferre posse. Ocellus Theologorum Augustinus *serm.* 207. *de tempore*, docet, veneficas posse arte operâq; Satanæ efficere, ut alii è sanis ægroti fiant, alii ex ægrotis sani. D. Lutherus organon prædicationis verbi divini in hisce novissimis seculis electissimum, expressè asserit & testatur *in Comment. epist. ad Gal. cap.* 3. Veneficas suis magicis artibus valetudinem

Avicenna & Galenus negant, dæmones morbos producere posse.

Concludimus cum Theol. JCtis, Medic. & Philosophis, Sagas posse morbos procurare.

Testimonia D D. de nostrâ conclusione.
Augustini.
D. Lutheri.

tudinem & vitam hominum perdere posse. Ad pleniorem fidem verba ipsissima ejus subjicere in proclivi esset, nisi chartæ esset parcendum. Imperatoriarum Legum, earumq; Interpretum, de nostrâ quæstione si perquiramus judicia, sæpius allegata *L. 4. verbis. Qui magicis accincti artibus aut contra salutem hominum moliri &c. detegentur. Et L. 6. C. de Malefic. & Mathematic. in verbis, Multi magicis artibus usi elementa turbare, vitam insontium labefactare non dubitant. Et §. item lex Cornel. Instit. de publ. jud. verbis. Qui artibus odiosis tàm venenis quàm susurris magicis homines occiderint & c.* Tam claram incitatis verbis decisionem subministrant, ut vix Interpretum indigeant. Nihilominus tamen, cum maleficarum venena, modos lædendi, morborum & dolorum affectus, graphicè depingant, malo illorum oculis videre, quàm meis obtusis imperitè ægritudinum signa ac fontes observare, ne risum vel pueris, qui medicamina miscent, debeam. Bartol. lucerna Juris nostri *consil. 6. tit. 1. cons. Criminal. n. 5.* sic scribit: Audivi à Theologis has mulieres, quæ strigæ nuncupantur, tactu vel visu posse nocere, etiam usq; ad mortem fascinando homines seu pueros ac bestias; Cum habeant animas infectas. Jacob. Cujacius antiquitatis insignis indagator *in paratit. Cod. de Malefic. & Mathematic.* scribit: Maleficorum appellatione contineri etiam beneficos, qui carminibus, diris devotionibus defigunt alios, qui fingunt cereas imagines hominis necandi causa. Et ex professô Paulus Ghirland. Lamiarum prudens examinator *de sortil. Q. 6. n. 12.* scribit: Veneficæ quædam redigunt in pingvedinẽ, cum quibus faciunt diversas unctiones maleficas, ex quarum tactu, aut aliorum cibô vel potu in humanis aut brutorum corporis infinitæ causantur ægritudines, & morbi intrinseci, quandoq; ex his provenit privatio, quandoq; verò membri debilitatio, nervorum attractio, dolor capitis, dentium, pectoris, stomachi, ventris, cordis, & iste sæpius cæteris evenit: quandoq; renum dolor intensivus, aut alterius membri aut partis corporis. Quandoq; verò provenit febris, tussis & dementia, hydrops aut aliqua tumefactio carnis in corpore, sive apostema extrinsecus apparens, quandoq; verò intrinsecè apud intestina aliquod apostema sit adeò terribile & incurabile, quod nulla ars Medicorum sanare & removere potest, nisi accedat alius maleficus seu sortilegus, qui con-

Ipsorum – Imperatorum

JCTi Bartoli.

Cujacii.

Paul. Ghirlandi.

contrariis remediis & medelis ægritudinem ipſam maleficam tollat, quam facilè & brevi tempore removere poteſt, *hact. Ghirland.* Haud ſecus obſervationem merentur verba Jodoc. Damhouder. *praxi. Rer. Crim. cap.* 61. *n.* 90. dum ait: Tertia ſortilegorum ſpecies eſt venefica ſeu malefica, quæ cæteris multis partibus eſt perniciosior, eoq; magis execranda, per quam infinita mala ſubpullulant: Tot infirmitates, tam varii morbi, tot calamitates, humana pariter ac brutorum corpora excarnificantur; Adeò ut ad duriſſimam mortem non rarò viventes adigantur, hi citius, illi verò tardius. Citius enim iſtiusmodi malefici perimunt, quotiescunq; compoſitio malefica valde præſentanea eſt, & plurimum habet veneni. Quâ ratione autem id fiat, cautus hîc prudensq; prætereo. Tardius verò mortem infligunt, cum longis cruciatibus corpora ita conficiunt, adeò exinaniunt, ut eorum universâ virtute contabeſcente tandem emori cogantur. Obſervandum præterea hoc loco eſt, variis modis iſtos maleficos ſuô maleficio homines (divino ſemper permiſſu) adigere ad mortem. Sunt enim qui ſola carminis potentia homines aliquando interimunt absq; ullo veneni Hauſtu. S Auguſtin. teſtante lib. 10. de Civ. Dei. *Hæc Damhouder.* *Joh. Damhouderus.*

§. II. Ex jam DD. relatis ſententiis ſatis conſtat, lamias ob unguem pravè ſectum irâ commotas, hominũ ſanitati ac vitæ vim inferre poſſe. Media autem quibus intoxicant, aut ſunt venenata *per ſe*, aut *per accidens*. Venenata *per ſe* pharmaca ſunt: quando ſagæ fercula peſtifera bonâ fide cum eis comedentibus apponunt, boleta medicata ignorantibus propinant, fruges, v. gr. mala, pyra aut alia eſculenta malo veneno infecta offerunt, quibus ſumtis ſubitâ corripiuntur morte. Cujusmodi exempla extant apud *Carpzov. in prax. Crim. part.* 1. *Q.* 50. *in Reſp. Lipſ.* An Carlen von Dieſtau Menſ. Aug 1528. ubi ſaga duodecim homines venenô necaverat in verbis: Auch denen in ihrer Auſſage beſagten 12. Perſonen Gifft/ davon ſie geſtorben/ beybracht &c. & ibid. *num.* 20. ubi lamia argentum vivum potui puerorum immiſcuerat. Hinc Paul. Ghirl. propter veneni mali periculum, conſulit omnibus, ut quàm maximè præcaveant, ne comedant aut bibant cum iis, qui dicuntur malefici, aut cum mulieribus maleficis, ſed fugiant eorum vel earum converſationes. Et meritò conſtituit Imperator, quod iſtorum con-

Media quibus intoxicant ſagæ ſunt aut Venenata per ſe.

Cibus non temerè cum omnibus capiendus.

versationem & amicitiam, quamvis vetus sit, unusquisq; omnino fugiat, *L. nullus. 3. C. de Malefic. & Mathematic.* Venenata *per accidens* sunt, quando sagæ ejusmodi res, quarum ingredientia (ut Medicorum termino utar) non sunt deleteria, ad homines lædendos adhibent, queis, si per se & in abstracto, quatenus sc. non ab homine venefico præbentur, nullum virus inest, possunt tamen vim nocendi à sagis diaboli ope & ministerio præparatæ, horrendis imprecationibus adhibitis, Deo permittente, induere. Quales solent esse communiter immissio spirituum immundorum s. vermium, erucarum vulgò (die Elben oder böse Dinger) quas ex coitu satanico procreare solent lamiæ, quibus per fascinationem in caput, pedes, aliave membra hominum immissis ingentes dolores & cruciatus excitant, testante *Carpzov. prax. Crim. part. 1. Q. 50. n. 19 ubi plurimis confessionibus lamiarum huic rei fidem conciliat.* Non rarò tamen vermium vicem explent pulveres, radices, cereæ inimicorum imagines & characteres. Pulveribus autem sub terram aut limina pessimè in nomine Dei & diabolorum defossis, quin per se sæpè aliquid admixti veneni adsit, non possum persvaderi à Bodino *de Mag. dæmon. lib. 2. cap. 8.* statuente: Non pharmaca, non ossa, non pulveres hos effectus morbidos habere, sed Satanam sagarum precibus solicitatum, Deo permittente, hoc omne operari solere. Quasi verò diabolus pulveribus, à sagis dum preparantur ex ingredientibus non nocivis mala venena injicere, vel alio quocunque modo nobis admirabili & invisibili non immiscere posset. Adeò ut non à verborum formulis, sed reverà à pulveribus sequantur effectus. De imaginibus, signis aut verbis, planè cum Bodino & Danæo facimus, illis per se prorsus nullam inesse vim nocivam, nisi pactum cum dæmone intercedat. Adeò ut frustrà omnes characteres & sagarum voces homo adhibere posset, neq; illis recitatis quemquam adigeret morti. Quod si verò fœdus & pactum hominibus cum Satana intercedit, diabolus illis invocantibus, mediantibus signis & adjurationibus, adest, obsequitur, impletq; ipse, quæ figurarum verborum istorum ac characterum vi ac energia effici posse promisit; Tum ut verus, tum ut potens appareat. Interim illis planissimè persvadet, characteres aut signa, quæ demonstravit, magnæ esse potestatis ac momenti: cum tamen per se nihil nisi mera

Venenata per accidens.

Daß zubringen der Elben oder bösen Dingen.

Pulveribus sæpe venenum admixtum.

Verborum, Characterum, Signorum & Imaginum cererum effectus unde.

ra

ra nugamenta & ludicra oculorum ſpectacula ſint, ſub quorum prætextu latentibus malis venenis, nec ſentientis ſagæ inimicos invadit. Atq; hæc dæmonum ars, non multùm mihi abludere videtur, ab arte Ludionum & Circulatorum, qui, ſicut mira in mediô facere videri volunt, variâ manuum geſticulatione, multisq; verbis profuſis aures & oculos ſpectatorum occupant & obtundunt, ne percipiant, quâ ratione pro duobus cippis tres aut quatuor, quos inter digitos occultabant, fuerint ſtatim ſubſtituti (quod omne tamen ſolâ manuum ſubtilitate & agilitate perficitur): Sic Satan ſuæ ſpectatrici ſcelerum turbæ, quam à diligentiori iſtarum rerum inquiſitione arcere vult, vana iſta figurarum & verborum figmenta & ſpectra ſeu ſpectacula objicit, ut iis obſtupefacta retineatur, neq; diligentius altiusq; cur hoc fiat, perſcrutetur: quæ tamen non ſunt ex ullô cauſarum genere, ad hujusmodi eventus comparata. *Lambert. Danæus de ſort. c. 4.*

Dæmon trahit lamias ſuas ut ludiones vulg. Zauberen ſpieler/ ſuos ſpectatores.

§. III. Hæc de mediis quibus lædunt lamiæ dicta ſunto, *Perſonas* quas lædunt, quod attinet, me non monente notô notius erit, illas in omnem hominum ſexum, ætatem, ordinem ſine delectu & diſcrimine permiſſu itidem divinô, crudeliter ſævire. Deplorandum profectò eſt, quod à malis hiſce novercis (*quas Virgilius lib. 3. Georg. vocat ſagas*) nec infantuli ſanguinolenti, quos ita recens natos appellat *L. 2. C. de patribus qui filios ſuos diſtrax.* tuti ſint. Siquidem compertum habemus, eas infantibus, tàm baptizatis, quàm nondum baptizatis; Maximè tamen nondùm ſalutari fonti immerſis inſidias ſtruere; partim quia eorum nece admodum delectatur Diabolus, quorum animam & corpus lucro ſibi ceſſuram ſperat: partim quia hæc ætas eſt imbecillior ad reſiſtendum, incautior ad cavendum, nequit earum conatum deprehendere vel revelare vel accuſare: partim, quia peſſimæ iſtæ mulieres petunt ab his inſtrumenta ſuorum maleficiorum. Nam perſvadet iis Dæmon, certam partem, (quàm nominari non eſt opus) ex iis exciderint & comederint, ſeſe patientiam omnium tormentorum eſſe conſecuturas, adeò, ut ad confeſſionem criminum perduci non queant *Binsfeld. in L. multi 4. C. de Maleſic. & Mathemat. quæſt. 2.* Conficiunt quandoque ex corpuſculis infantum occiſorum coctis, famoſum illud ungventum ſuum, quod

Perſonas quas lædunt lamiæ.

Infantibus nondum baptizatis inſidiantur.

Infantium membra comedunt.

Ghir-

Unguentum ex iis conficiunt.

Ghirland. in Italiâ vocari dicit *ungventum paganum*, cui vim inesse lædendi sanos admirabilem, prædicant. Sunt quoque lamiæ anhelantes ex infimô pectore crudelitatem, brachium cruentum contorquent in proprios infantes, nec iis veniam dant, sed Diabolo hostias offerre & occidere solent; sicut olim in sacris faciebant Cananæi & cultores Moloch. Nonnunquàm eò diritatis procedunt, ut in ipsô matris alvô infantes, antequàm usura hujus lucis ipsis contingat, suis venenis enectos sepeliant. *Nider. scribit, judicium à se de Staldino quodam diœcesis Lausanensis fuisse constitutum, qui fœtus septem à se in utero matrum fuisse occisos fatebatur, & abortum toti pecori familiæ illius factum, Bodin. l. 2. c. 8.* Si verò humanitate quâdam tanguntur, ac infantibus parcunt, alimenta tamen ipsis sæpius suis artibus adimunt, inducendô deficcationem lactis almæ nutricis *Ghirland. de sor Q. 6. n 13.* Non rarò prorsus rapiunt infantes, ut parentibus cadavera eorum humo mandare non sit integrum. Nec est, quod dicta quis in dubium vocet, cum confessionibus à sagis factis satis superque confirmentur. *Sprengerus in Mall. mallef. part. 2. l. 1. c. 3. refert: obstetrices duas in Episcopatu Basilienst & Argentinensi concrematas esse, eò, quod una quadraginta altera innumerabiles pueros recentes ab utero necavissent, inditis clam in eorum capita grandibus aciculis. Et præteritô seculô Comes quidam superioris Germaniæ, octo veneficas, quæ 140. infantes interfecerunt, Vulcano consecravit. Anno LIII. captæ sunt Berlinæ duæ veneficæ mulieres, quæ glaciem ad perdendas fruges perficere conatæ sunt. Eæque mulieres, rapuerunt furtô alterius vicinæ mulieris infantulum, & ipsum dissectum coxerunt. Factum est divinitus, ut mater quærens infantem, interveniret, ibique in ollâ impositâ amissi infantis membra videret. Captis itaque mulieribus, & in torturâ examinatis, dixerunt, si processisset coctio, tunc futura fuisset ingens glacies, ita, ut omnes fruges perderentur Godelm. de Mag. lib. 1. cap. 7. n. 30.* Nec recentiora exempla deessent, si longius divagari liceret. Unicum ex Carpzov. pract. Crim. ex sententiâ Lipsiens. mens. Aug. aô. 1582. An Carlen von Diskau datâ, delibasse sufficiat: ibi; hat sie in scharffer Frage bekant/ daß auch sie die E. S. der Malprichen Kind gekochet/ und in einen Topf/

Proprios infantes occidunt.

Nutrices deficcant.

Obstetrices duæ innumerabiles infantes occidentes.

Infantem vicinæ raptum coxerunt saga.

nach

nach innhalt ihrer aussage mit Zauberey zugerichtet. Und daß G. P. und G. W. denselben und den andern Topff / welchen die alte Posserin zubereitet. Und daß die R. dabey gewesen / als sie der Melckischen Kind gekochet / und in aller Teuffel Nahmen gesegnet / daß es weidlich sterben solte. &c.

§. IV. Dies me deficeret, si omnes ægritudines, morbos & cruciatus, quibus permittente Deô maleficæ in singulos ætatis gradus, quos mancos debilesque efficiunt, grassantur, percensere vellem. Animus namque meus est, crudeliora saltim earum facinora léviter tangendo aperire. Inter quæ meritò referunt DD. & illud Nodationis, ligationis ligulæ, vulgò (Nestel verknüpffen) feræ clausæ cum clave in aquam projectionis, scelus. Quô nullum extat frequentius, nullum probè pernicioſius & execrabilius. Fit autem nodatio, quando lamia vel alius quivis maleficus certis quibusdam incantatoriis vocibus insusurratis, gesticulationibus, vel alio intoxicationis genere, novis conjugibus impedimentum, quò minus finis matrimonii primarius obtineatur, tam arctum creatur, ut nulla arte Medicâ medela illo inveniri queat, nisi â solo Deo. Et hoc impedimentum ab ofore maximô, mediantibus instrumentis, casti matrimonii ortum ducit Diabolô, qui primùm generis humani, quod totis viribus perdere conatur, procreationem sobolis impedit. Deinde augustum illud amicitiæ vinculum inter virum & uxorem tollit. Postremò, ut qui hoc modo ligati sunt, contra sextum præceptum ad scorta & adulteria transvolent. Nam Nodationem omnes Theologi & ipse *Thomas in lib. 4. sent. distinct. 24.* confitentur, virum, respectu unius solùm mulieris, non aliarum, nodari posse, & *c. ult. de frigidis.* Nec putandum, verbis pronunciatis ligulisque implicatis tantum impedimentum objici posse; sed rem totam solâ arte Diaboli malitiâque abutentis hominibus, & sceleratam ipsorum voluntatem adjuvantis peragi, demonstrant hæc Maronis verba:

Nectite tribus Nodis. —— ——

Cætera de consultò omitto. Nodantur homines, ut varietatem hujus sceleris ordine contemplemur, vel in diem unum, in annum, vel in æternum, aut quàmdiu ligamenta non soluta perdurant; Tam masculi, quàm fœminæ. Hæ vix ac rarò possunt ligari, nisi

Nodationis crimen vulg. Nestel verknüpffen quale & quomodo fiat.

Cur fiat.

Nodationis varietas.

Nodationis modus 1mus.

hoc rarô casu; quando mulier tam arcta (ut cum *L. 14. §. 7. ff. de Ædil. Edict.* loquar) redditur, ut mulier fieri non possit; Illi verò multis modis. (1) Si spiritus vitales à veneficis prohibeantur transire ad membra genitalia, & sic seminis decisio impediatur. *Gerhard. tom. 7. de conjug. n. 661.* (2) Si semen prolificum exsiccetur & subtrahatur (3) Si virga viri flaccida fiat, saltim quando coire (ut verbis *Nov. Justin. 22. cap. 7.* utar) mulieri, & agere quæ à naturâ viris data sunt, cupit. (4) Quando necessaria pars corporis virilis (*L. 7. ff. de Ædilit. Edict.*) retractatur & absconditur, ut planè adempta esse appareat. Uterque verò ligatur conjugum, quando tale odium inter eos conciliatur, quô alter alterum tolerare non possit. Aut quando amor vanus & ardentissimus excitatur; Sin autem ad congressum ventum est, alter alterum laniat ungvibus, & cædit indignissimè. *Vide de his latè Joh. Georg. Godelm. dict. tr. lib. 2. cap. 6. Bodin. de Mag. dæmonom. lib. 2. cap. 1. Lambert. Danæ. dict. tract. cap. 3. Mart. Delr. disquis. Magic. lib. 3. part. 1. Q. 4. Sect. 7. Paul. Girl. tract. de Sortil. quæst. 6. n. 15. ubi notatu maximè dignum exemplum viri egregiè literati recenset, qui prædictô modô à sagâ quadam adeò fortiter ligatus erat, ut nulla arte Medicâ dissolvi posset, & urgente uxore juvenculâ matrimonii separationem, non sine dolore & verecundiâ consentiret. Antequàm autem hoc fieret, consuluit ipsi quidam senex, ut Magum quendam celebrem consuleret, qui etiam vocatus suis artibus nodatum unicâ nocte solvit. Quo factô, membrum virile* (utor verbis Ghirlandi) *cœpit erigere vultum, subitò saliit, & apprehensâ uxore, reddidit debitum satis pingve, cum maximâ dulcedine & delectatione, atq; suscepit optimam utriusq; sexus prolem. hæc Ghirlandus fusè.*

2dus.

3tius.

4tus.

Viri nodati & soluti exemplum.

§. V. Ast quid thori sacrarium apertis valvis recludo? Cui ne per transennam quidem oculos immittere me juvenem decuisset, ac non potiùs ea, quæ ad scopum tendunt, persequor. Dixi *præced. §. 3.* lamias permissu divinô in omnem hominum ordinem sine delectu sævire posse. Quæstio hic exoritur non inutilis: *An & lamiæ judicibus & justitiæ ministris nocere queant?* Resp. Vulgò decantata ac à nonnullis etiam doctis viris recepta opinio est, ex speciali privilegiô concessô, non pôsse nocere lamias judicibus eorumque ministris. (1) Quoniam experientiâ & eventu comprobatum est, eas non potuisse illis nocere, licet voluerint. (2) Quia in lege Dei dictum:

Q. de læsione Judicum & ministrorum.

Rationes cur non possint lædere judices.

ctum: Cum judicabitis, nè metuatis ab ullô. Nam judicium est Dei, qui non adversùs humanas potestates solùm, sed etiam contra spirituum malignorum vires eos protegit. Verùm experientiæ repono & experimentum illud, quod Sprengerus Inquisitor sagarum refert: In ipsô nempe rogo sententiâ judicis damnatam lamiam, *Carnifex in saga læsus.* solo anhelitu carnifici lepram intulisse, cum ipsa leprosa non esset. Dictum scripturæ nobis non officit, siquidem illud intelligendum erit, quod absque voluntate & permissione Dei judicibus nihil nocere queat; Quando autem Deus permittit, privilegium eos non tutabitur. Nos igitur istud privilegium cum *Ananiâ lib. de nat. Dæm.* restringimus ad eos tantùm judices, qui hoc digni nomine, qui Deum præ oculis habentes recte riteque suo funguntur officiô. Nam quos avaritia excœcat, quos trahit ambitio, quos crudelitas & vindictæ amor agit, qui curiositate ducti perperam multa designant. Hos, ait, crebrò sic à Dæmone excitari & impeti, ut aliquando necem non evadant, idque non paucis accidisse. Et licet ne quoad hos privilegii ullum diploma extare videatur, censeo tamen judicum pietatem, firmitatem fidei & justitiæ zelum hoc à Deô ut- *Sola pietas Judices à læsione sagarum tutatur.* plurimùm impetrare. Quæ, quia desunt quibusdam, etiam eos peculiari hoc scutô Deus denudans noxæ exponit. His adhibitis limitationibus rectè concludimus cum Bodin. *dict. tract. lib. 3. c. 4.* Itaque, inquiente, non est cur metuant judices à conficiendis liberè sagarum judiciis: prout sunt, qui fugiunt trepidi, nec audent magos in os inspicere. Pii judicis, quem nec suis artibus, nec diaboli ope lædere saga potuit, exemplum observatione fortè non indignum erit, quod refert *Godelman. dict. tract. lib. 1. c. 8. n. 7. Venefica*, inquit, *quædam, quæ hîc Rostochii ante quadriennium combusta est, ex carcere diabolum ablegavit, ut judices, qui pridè eam sub torturâ examinarunt, vel interficeret, vel iis vel eorum familiis damnum inferret. Judices noctu spectrum adesse animadverterunt: Verùm quia se anteà divinæ protectioni commendarunt, diabolus nihil efficere potuit, & in carcerem reversus, veneficæ indicavit, se jussa exequi non potuisse, propterea, quod dum cubitum irent, illi se in precibus suis Deo commendassent, additis his verbis:* Der Allerhöchste hat es nicht haben wollen. *Exempl. pii Judicis.* Quare imprimis judicibus, ut & omnibus piis meditanda est, illa Dei promissio dulcissima, quæ nobis per Christum facta extat elegantissimis verbis in *Psal. 91.* *Meditatio Psal. 91. utilis est Judicibus.*

§. VI. Hæc de ſagarum læſione in homines. Jam de *Brutis animalibus* erit agendum. Extra omnem autem dubitationis aleam poſitum eſt, animalia tam manſueta, quàm fera lamiarum læſionibus juxta cum hominibus, permiſſu divinô, obnoxia eſſe. Manſveta quod attinet, illis variis modis nocent, plerumque tamen pulveribus liminibus aut viis ſubſtratis enecant, ubi Bodinus addit: Non quod pulveres illud poſſint, (ſagas enim potius, quæ geſtant eos, enecturi eſſent, quam ſupergredientia animalia, cum eos ſagæ ad pedem unum ſub humo condant) ſed ſolus Satanas eſt hujus rei adminiſter, qui vult ut ſagæ conſenſum manumque operi adhibeant. *Exempl. cauſſ. ait Sprengerus, quæſtionem à ſe de ſagâ fuiſſe habitam, quæ tres & viginti equos mercatoris Ratisbonenſis affecit morte. Quæ dixit, foſſam tantummodo à ſe factam eſſe, in quam pulveres à diabolô ſub limen januæ injectos eſſe.* Sic illa manum admoverat. Et hoc variis experimentis compertum eſt. Quin & ipſos patresfamilias, qui ſummum familiæ detrimentum per ejusmodi mortes equorum aliorumve pecudum incurrerunt, locupletes teſtes produco.

Læſio brutorum.

Pulveribus nocent iis.

23. equi à ſagâ interfecti.

§. VII. In vaccinâ quoque ſpecie lædendâ haud ſegniorem ſtygas iſtas mulieres ſuis incantamentis adhibere operam, indigitat non obſcurè Paul. Ghirland. *de ſortil. Q. 6. n. 13.* Remedia, inquiens, quædam fiunt ad deficcandum lac unius gregis, vel fœcundi armenti vaccarum, adeò, ut nihil caſei penitus reddant, quamvis anteà in maximâ abundantiâ reddidiſſent, & ſimiliter abortiones totius gregis vel armenti inducere poſſunt, prout aliàs vidi & habui in facto Romæ: quod duæ maleficæ mulieres cum iſtis maleficiis perire fecerint abortando multos pecudum fœtus, & matres deficcaverant penitus. *hæc illæ.* Vulgaris quoque eſt matrumfamilias querela, lac è diſtentis vaccarum uberibus à ſagis furto abripi. Verùm ſi rem penitiùs inſpicimus, deprehendimus, non à ſagis furtum committi, ſed ab ipso diabolo, quando ipſi Deus hominibus nocendi facultatem permiſit, qui vi pacti lamiis poſtulantibus vitæ ſuſtentacula porrigere cupiens, rebus furtivis earum deſiderium explere cogitur. Nam cùm lactis copiam aliunde habere non poſſit diabolus, furto vicinorum, qui offenderunt clienculas ſuas, vaccis ſubtrahat neceſſe eſt. Ne autem lamiæ pudentiſſimam ejus

Vaccis nocent lamiæ.

Abortum pecorum procurant.

Quomodò ſagæ lac à vaccis alienis furentur?

frau-

fraudem perſentiant, ſed eas in devotione ſuâ retineat, varia eas edocet remediâ: Ut in quocunque ſuæ domus angulo velint, ſe collocent, mulctrale vas inter crura habentes cultrum, clavem vel forcipem, colum vel reſtim, aut etiam aliud inſtrumentum parieti vel columnæ infigant aut appendant, & illud inſtrumentum mulgeant. Quæ dum manus ad mulgendum apponunt, diabolum prius, qui eis ſemper ad omnia cooperatur, invocant, &, quod de tali vaccâ, è tali domo, quæ ſanior & quæ magis lacte abundat, mulgere affectent, proponunt. Tunc mirâ celeritate diabolus ex mamillis illius vaccæ lac recipit, & ad locum, ubi malefica reſidet, &, quaſi de iſto inſtrumento fluat atque deſtillet, reponit. Interim vetulâ in opinione ſuâ relictâ, quaſi ipſa emulſiſſet. *Spreng. & Balduin. in caſ. conſc. lib. 3. cap. 5. caſ. 10. Superioribus ſeculis Trevirenſi in civitate combuſtam fuiſſe maleficam, quæ confitebatur, ſe ſolitam ex pariete per epiſtomium lac, quod divendebat plurimis, mulſiſſe, ſcribit Mart. Delrio diſquiſit. mag. lib. 4. part. 1. quæſt. 3. ſect. 3.*

§. VIII. Feras quod ſpectat, illas pari modo incantari poſſe, tradit *Lamb. Danæ. in dial. de ſort. c. 3.* ut effugere non queant, ut etiam manu capere poſſis. Verbis quibusdam incantantur ſerpentes, ut depoſito veneno, ſine noxâ tractari queant; Et capiuntur mures majores quos Rattos vocant, *Godelm. de mag. lib. 1. c. 8. n. 42.* Dicuntur etiam feræ in ſylvis errantes narcoticâ arte indurari, iisque tantum ſtuporem arte dæmoniacâ induci poſſe, ut nullo globulorum ictu perforari aut vulnerari, multo minus capi queant. Quod ſcelus à venatoribus, dubio procul pactum cum dæmone tacitum habentibus in invidiam vicinorum venatorum ſæpe parari, à fide digno quodam Nobili audivi, cujus in toto diſtrictu cervi velut ferrei bombardarum ictus cute illæsâ excipientes aufugerunt, nec ullum intra anni ſpatium cepit. *Feræ etiam incantari poſſunt.*

§. IX. Hactenus infirmitates & morbos præcipuos per maleficas artes inflictos tractavimus. Jam diſpiciendum erit de eorum rationibus, *ſupra* § 1. dum Pauli Ghirlandi opinionem de morbis hiſce retulimus, mentionem injecimus, morbos à ſagis protelos incurabiles eſſe, nec ullâ arte Medicorum ſanari ac removeri poſſe, niſi accedat maleficus ſeu ſortilegus, qui contrariis medelis ſam ægritudinem maleficam tollat, quam facile brevi tempore re- *Morbi à ſagis inflicti ſunt incurabiles, niſi curet ipſa ſaga.*

removere potest, juxta illud: Cujus est condere, ejusdem est & solvere, & cujus est condemnandi facultas, ejus est absolvendi libertas. *L. 3. ff. de re jud. & L. 37. ff. de R. J.* Nihil tam naturaliter connexum, quod eodem genere solvi non possit, *L. 35. ff. eod.* Sanare enim hîc, & morbos inferre, ejusdem est artificii. Id quoque extra dubium est, si Bombast. Paracelso credimus, qui *lib. de occult. Philosoph. & cœlest. medicin.* naturalis Medicinæ & chirurgicæ cassam in curandis his affectibus subodorans operam, verè quidem, sed parùm christianè & religiosè dicit: Quâ ratione & quomodo morbis magicô maleficio inflictis succurrendum sit, scitu est necessarium omnibus Medicis, qui perfecti cupiunt esse. De tali autem curatione, nec Galenus nec Avicenna sciverunt aut scripserunt quicquam. Non enim in Academiâ discitur omnis ars, ideò oportet Medicum quandoque accedere vetulas sagas, Zingaros, rusticos & circumforaneos, & ex ipsis artem istam addiscere, qui plus sciunt de his rebus, quàm omnes Academiæ Professores, & quanquam hæc rideant Academiæ Professores, tu verò utere illis in forti imaginatione, & experieris effectum. *hæc ille.*

Consilium parùm religiosum Paracelsi, de curandis his morbis.

Quæst. An liceat confugere ad Magos?

§. X. Quod cum ita sit, quæritur: *An cum enumeratis hisce & similibus morbis miserè conflictantibus licitum sit ad magos & sagas confugere, ut à morbis leventur?* Resp. Aut nobis sermo est de Jure Civili, aut Canonicô & Divinô. Primo casu licet impunè consulere & adhibere sortilegum aut sagam ad faciendum opera, quæ vergunt in bonum finem & prosunt, per expressam *L. eorum 4. C. de Malefic. & Mathem. in verbis: Nullis verò criminationibus implicanda sunt remedia humanis quæsita corporibus.* Quid aliud Imperator Constant. voluit? quàm illas artes magicas, quibus saluti hominum consulitur, non culpari, multò minus improbari debere. Hinc rectè *Damhouder. in prax. Crim. cap. 61. n. 97.* dicit: Non est tamen quod quisquam putet, hæc remedia de jure Civili esse prohibita, aut ullâ pœnâ de J. C. afficiendos, quicunque hoc artificiô illata incommoda profligunt, licet id agant arte maleficâ. Exin colligo Damhouderium, quosdam virgulâ censoriâ Imperatorem Constantin. notantes haut latuisse. Inter quos est *Delrio dict. tract. lib. 6. c. 2. sect. 1. Q. 2. p. m. 963 & Dana. de sort.* qui asserunt, quasi Christianâ fide tunc nondum fuerit imbutus Constantinus, cùm hanc

De J. Civ. licet impunè consulere Magos.

legem

legem tulerit. Quod quidem non impugnamus: Aſt quod culpam Delrio in Tribonianum noſtrum, quem hominem planè ſceleſtum immeritò vocat, conjiciat, quod ſc. is Conſtantini legem, tanquam Juri omni repugnantem, Corpori Juris inſeruerit; Quaſi verò leges Corpori Juris inſertæ ex mente legislatorum eſſent, quin potius ex mente ipſius Juſtiniani, qui omnia fecit ſua, in Codicem ſint relatæ. Qui tanquam Chriſtianus Imperator procul dubio hanc Conſtantini legem, ſi de remediis diabolicis, & de magiâ, quæ fit cum aliquâ diaboli invocatione, ac non potius de ejusmodi remediis naturæ occultis, quæ Magiæ ſpeciem redolere videntur, intelligenda veniret, incorrectam non relicturus fuiſſet. Urget quidem Delrio Legem iſtam Conſtant. omninò eſſe correctam per Leonem Imperat. *in Nov. ſua* 65. Sed ſciendum, Leonem non fuiſſe univerſalem Imperii Imperatorem, ſed ſaltim Conſtantinopolitanum & Orientalem, qui hâc in parte Jus Juſtinian. immutare non potuit, quoad Imperium Occidentale. Statuentis ſiquidem diſpoſitio ad limites ſuæ poteſtatis reſtringi debet *l. fin. ff. de Jurisdict.* Quid? quod hodiæ Novellæ Leonis ad corrigendum Jus Juſtinian. minus rectè allegantur. Quare quò noſtri Civil. Juris auctoritas ſarta tectaque ſervetur, cum Binsfeld. & Goed. hoc moderamine adhibitô Conſtantini legem ita accipiendam putamus: Quod, ſi ad bonum finem adhibeatur Magia, de J. C. toleretur, ut propterea nec exercens, nec conſultor pœnam ullam incurrat; Niſi de adhibitâ diaboli invocatione conſtiterit. Tunc enim non quidem ordinariæ L. Corn. ſed extraordinariæ pœnæ locum eſſe dicimus. Quod autem ab hâc lege divortium faciat Jus Canonum & Divinum, non eſt adeò mirandum, cum Lex Civ. in forô fori tantùm attendat & corrigat ea, quæ cum ſocietate humanâ pugnant. Lex divina verò in forô poli ulterius progreditur, & interiorem hominem requirit. Hinc quoniam circa diverſa verſantur ſubjecta, lex humana multa permittit, quæ lex Divina & Canonum damnat, ut ex ſequentibus apparebit, vide *Petr. Theodor. in Colleg. Crim. diſp. 7. t. 6.*

Tribonianus à Delrione culpatur.

L. 4. C. de M. & M. non eſt correcta per Nov. Leon. 65.

Intellectus l. 4.

Ratio cur Jus Can. discrepet à J. Civ.

§. XI. Dixi nos loqui aut de Jure Civili, aut Canonicô. De re Canonicô, cujus deciſioni propter morſus conſcientiæ evitandos haud dubiè ſtandum, non licet ullô modô, etiam pro recuperandâ corporis ſanitate, quærere remedia diabolica & ſuperſtitioſa,

Juris Canonici deciſioni hâc in parte ſtandum.

ſſa, licet aliter ſanitas ipſa, niſi per remedia prædicta, recuperari non poſſet *per c. admoneant. 26. queſt. 7. c. qui ſine Salvatore 26. quæſt. 2. c. ſi per ſortiarias 33. queſt. 1.* Et ratio horum textuum eſt, quia magis expedit pati in corpore, quàm in animâ, cum minor ſit corporis jactura quàm animæ. Atque in *dicto c. Sortiarias* Eccleſia potiùs tolerat diſſolutionem matrimonii, & tanti vinculi ſacramentalis fracturam, quàm permittere & concedere maleficiatum ſeu nodatum contrariis maleficiis liberari. Idem quoque erit ſtatuendum de remediis ſuperſtitioſis, appendiculis & ligaturis, quas deteſtatur *c. nec mirum 26. §. ad hæc. queſt. 5. verb. Ad hæc omnia ſupra dicta pertinent ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars medica condemnant, ſive in precationibus, ſive in characteribus vel in quibusdam rebus ſuſpendendis atque ligandis, in quibus omnibus ars dæmonum eſt, ex quâdam peſtiferâ ſocietate hominum & Angelorum malorum exerta. Unde cuncta vitanda ſunt Chriſtiano & omni penitus execratione repudianda atq; damnanda.* Cum his Canonibus planiſſimè conſentiunt leges divinæ, *Levit 19. v. 31. & 20, 6. Deut. 18, 10.* ubi ſeveriſſimè magos, ſagas aut ejusmodi ſatellites Satanæ conſulere, in quacunque ad quamcunque finem bonam illud fiat, prohibemur. Deus enim ſolus eſt, qui ſanat infirmitates noſtras, *Pſal. 103.* Ille eſt qui morbos immittit & à morbis viciſſim liberat, *Pſ. 107.* Quare providentiâ Dei, mediis legitimis & precibus in quærendâ ſanitate utendum, non ſuperſtitione aut magiâ. Sed quod quibusdam ea res feliciter ceſſiſſe nobis à nonnullis objici velit; id quantulum eſt, & quàm rarò accidit, quando è decem, qui ad ejusmodi auxilium confugiunt, vix ac ne vix quidem unus reperiatur, qui opem ſenſit. Sed eſto ſenſiſſent feliciter, iſta tamen non ex ſucceſſu, ſed ex Dei præceptô ſunt judicanda. Nam & qui furatus eſt, ſæpe lautius vivit, probandumne propterea furtum erit? Ac licet vel centum mihi in medium proferantur, qui hæc remedia tentantes benè ſeſe habuerint; Vix tamen unum, ex quô pietatis mica elucet, mihi nominabis, qui non ex iſtâ ſanatione morſum aliquem conſcientiæ ſentiat aut ſenſurus ſit. Nam ſi corporis malum, ait Bodinus, ſatanas curavit, ſemper animæ infligit vulnus. Et Danæus, ſi quando ad alterius quàm unius Dei auxilium confugimus, prodimus in eô turpiſſimam animi noſtri diffidentiam, infidelitatem, rebellionem atq;

Rationes canonum.

Remedia ſuperſtitioſa etiam rejiciuntur.

LL. divinæ cum Can. conſentiunt.

Objectio à proſperô ſucceſſu.

Simile de fure

Curatio maleſica animæ ſemper infligit vulnus.

atq; etiam sceleratissimum Numinis Divini contemtum. Quibus vitiis & malis ipsius iram, imprimis autem mortem æternam capiti nostro consuimus. Tutius ergò suadentibus Theologis intuitu tanti peccati erit, millies mori, quàm diaboli operâ semel sanari; Tum quod minus sit malum corpus perire, quàm de animæ salute periclitari; Tum quod honor Dei, qui reverà hoc modo in Satanã transfertur, cunctis corporis bonis longè sit anteponendus, *Conclusio*

§. XII. Ex his ipsis facilè emergent responsiones ad eorum objectiones, qui limitatè quæstionem nostram purè negativè concludentem, esse intelligendam contendunt. (1) Dicunt: non quidem licere & fas esse maleficiato, ultrò recurrere ad maleficas & opem earum implorare; si tamen fieri â nobis velit, jubeat, & adigat maleficas nobis opem ferre Magistratus, nos tunc salvâ conscientiâ earum auxilio & damnatis remediis uti posse, nec à nobis peccari, si admittamus. Si enim, inquiunt, nobis non petentibus id fieri ipse Magistratus velit, & imperet Magis, tunc penè inviti eorum sentimus auxilium, in quo caremus omni animi scrupulô & culpâ: intervenire enim Magistratus, tanquam Dei ipsius auctoritatem, cui parere oportet, quia à Deo habet imperium. Et hoc est fundamen limitationis illorum. Verùm admodùm infirmum hoc est, imò falsum. Primò enim & ipsum Magistratum, licet vicem Dei in terris gerat, illud Apostoli *ad Rom.* 3. 8. interdictum: Ne unquam faciamus malum, ut eveniant bona; stringit, qui hoc loco peccat, suadendo & obtrudendo medelam suspectam. Deinde, si argumentatio ab auctoritate Magistratus procederet, licebit & nobis à pari argumentari: Si judex & magistratus idola colere præcipiat, si furari, si mœchari & Satanam amplecti; Possumusne tunc ejus jussa capessere, ac ea facere salvâ conscientiâ, quia jubet magistratus? Nemo certè, ut conjicio, sanus unquam hoc concesserit, quin potiùs nobis suasor erit, ne, si per totum etiam vitæ curriculum nobis ægrotis in lecto decumbendum esset, ad hujusmodi opem & artes Satanæ recurrendum sit, licet velit & imperet Magistratus, etiam summus. Appositè nostro casui convenit, quod refert *Jac. Spreng. Sagarum inquisitor, exemplum de Episcopô à se visô in Germaniâ, qui adversâ utens valetudine ex sagâ vetulâ cognovit, se ex maleficiô ægrotare, nec aliam valetudinis recuperandæ viã esse, quam ut eadem saga sortilegiô peteret, quæ sortem in ipsum conjecerat, Miratum Episcopũ celeri-*

Limitatè quidam nostram negantẽ quæst. intelligunt.

1. *Limitatio.*

Exemp. Episcopi à Papa, maleficæ curationis adhibendæ, indulgentiam impetrantis.

celeribus equis mississe Romam ad Nicolaum V. Papam, ut veniam indulgeret hujus curationis adhibendæ: Papam, qui Episcopum deamabat unicè, indulsisse hâc clausulâ dispensationi adjectâ, ut ex duobus malis fugiatur majus. Sagam diplomate allatô dixisse, cum Papæ & Episcopo placeat, se illud effecturam. Sic mediâ nocte restitutum fuisse Episcopum, sagam verò, quæ eum fascinaverat, in morbum, ex quo obiit, incidisse. Sic à Satana videmus procuratum, ut Papa, Episcopus & saga in eodem facto homicidæ essent, quibus simul persuasit, ut sibi servirent, & obsequerentur mandatis suis, *Bodin. de Mag. dæmon. lib. 3. cap. 5.*

2. *Limitatio.* (2.) Propugnat *Nicolaus Remig. lib. 3. Dæmonolat. c. 3.* Precariò quidem, inquiens, non licere opem à maleficio impetrare, sed vi & verberibus eam extorquere licitum esse, qui hoc faciat, nunquàm, qui illud, semper lethaliter peccare. Sed utrumq; aliquid monstri alit. Cur verò coactionem tanquàm minus peccaminosam præferat, utitur his rationibus: *Prima* est, quia talis coactio inhonorat diabolũ, & est expers omnis pacti, Ergo licita est. Resp. cum Delrione *Disquisit. Mag. lib. 6. c. 2. sect. 1. q. 2.* Cogentem magis inhonorare Deum, quia cogit alium peccare, imò nec inhonorare diabolum, quia cogit maleficum, ut invocet & honoret Dæmonem: ipse quoq; eum honorat, quia non modò credit, dæmonem posse hanc medelam afferre, sed etiam concurrit positivè ad actum positivum; Dæmon verò pluris hoc facit, quàm mancipii sui injuriam, cujus afflictione solitus est gaudere. Nec potest talis dici expers pacti taciti, qui cogit maleficam ista perficere virtute pacti, quod malefica cum dæmone iniit. *Ratio limitationis prima. Responsio.*

Altera Remigii ratio est, quod liceat à fure fugiente res sibi ereptas contrariâ vi repetere: Liceat arcem injustè ab hoste occupatam, armis recuperare; Liceat vinculis per tyrannidem mancipatum astu violenterq; eripere: Cur non hæc vis licita sit, ut innocentem morbis indignissimis sanemus; Resp. Illationem esse vanam, quia reliqua illa licita sunt de jure divino, naturaliq; consentanea. Maleficium verò maleficio sanare omni repugnat juri. Ex quibus judicium ferre inproclivi est de facto *Caroli Martini Præfecti Laodunẽsis, qui factus certior, mulierem pauperem in Valle (id suburbii Laodunensis nomen) fuisse à sagâ vicinâ fascinatam, miserumq; illius necem interminatus est sagæ, nisi* *Ratio 2.* *Resp.* *Exemplum mulieris, quæ Ju-*

morbum vicinè adimeret. Metuens illa promisit se curaturam. Itaq; ad pedes cubilis venit, vultum in terram demittit, manus jungit, diabolum maximum magnâ voce appellat, subinde preces renovat, voces incognitas aliquot repetens frustra panis ægrotæ tradit, quæ eodem momentô cœpit revalescere. Quo in facto illud est evidens, diabolum æque ab ægrotâ atq; à fagâ invocatum & adoratum esse. Præstat autem mori millies, quàm detestandum remedium corpus sanans animamq; occidens experiri. *Bodin. dict. tract lib. 3. c. 5.*

jubente magistratu, à fagâ, quæ eam læserat, iterum est sanata.

(3.) Alii dicunt, non licere quidem medelam, à malefico imparato, sed tamen à parato ad eximendum malum, recipere, resp. & hoc peccaminosum est, quia licet si paratus peccare & eximere maleficus: Hoc tamen peccatum non committere, nisi inductus.

3. *Limitatio.* *Resp.*

(4.) Prætendunt maleficum seu maleficam posse induci, ut per modum aliquem licitum tollat maleficium. Ad hoc Resp. distingvend. si quis omninò certus sit, quod remedio non sit usurus illicito veneficus, indicet etiam remedium suum, quod a Medicis & Theologis approbatur, tunc puto posse adhiberi sine scrupulo, ita tamen, ut potius applicetur à pio homine, nam si miraculosa est ejus operatio, Deus illã potius edet, per pium hominem, quàm per diaboli mancipium. Quod si autem quis incertus sit, & dubitet de legitimis remediis, ac malefica rogata remedium exponere, illud dicere detrectat, tunc hoc ipso satis indicat, se remedio usuram illicito: Præsertim quando dicit, illud planè non profuturum, nisi ipsa ægroto remedia hæc applicet. Tunc non est dubitandum, quin aliquid adhibitura sit ex pacto cum diabolo convento. Ac propterea illorum illarumve curationes, si puram conscientiam servare quis studeat, cane pejus & angue fugiat.

4. *Limitatio.* *Resp. distingv.*

(5.) Cautelam proponunt, quâ quis adhibitâ posset licitò usurpare remedia magica, nimirum ut utens expresse protestetur, se nihil commune cum diabolo habere velle, præprimis si petitur ab eo, qui non intulit ipse maleficium. Quam protestationem etiam amplectitur *Delrio dict. loc.* Verùm de hâc ipsa, quæ mihi quoque valdè suspecta videtur, judicium relinquo Theologis.

5. *Cautela protestationis.* *Resp.*

Tandem (6.) sunt qui statuunt, non quidem per remedia superstitiosa, sed per vana tantùm, quæ non sunt, illicita, licere sanitati consulere. Verùm sciendum, omnem superstitionem omnesq;

6. *Limitatio.* *Resp.*

vanas actiones peccatô non carere, & vanis istis remediis diabolum æquè cooperari. Hinc rectè Bodinus invehitur in eos, qui nuptæ annulum accipiunt ad notationem solvendam, & per eum fit illud, quod horreo dicere: Res illicita est, inquit, nam in hâc re, vir aversus à Deo, auxilium esse statuit, nec dubium est, quin diabolus ad eam manum porrigat. Similiter & eum Germaniæ morem culpat: quando matresfamilias, quod ipse inquiens, sæpè audivi, factum, in ollâ fervefaciunt lac illius vaccæ, quam sagæ exhauserunt, & certis vocibus (quas reticere placuit) enunciatis, ollam ictibus baculi feriunt, eodemque momentô dicant, diabolum sagam dorsô tot ictibus petiturum esse. Et hoc illicitum est: sic enim mos consilio satanæ geritur, qui eam, quæ saga non est, hâc via ad idem facinus allicit, dum rem animadvertit adeò mirabilem. Idem quoque judicium esto, de pessimô factô, quod Sprengerus dicit, in Germaniâ observatum & à se visum, quô à sagâ equi interfecti erant, dominus equi mortui viscera in cellâ aut specu subterranea consummebat igne. Tunc malefica, quæ commisit malum, dolorem colicum in intestinis sentiens ad ædes contendit rectâ, ubi crementur viscera, ut prunam candentem postulet, quo impetratô, dolor istius desinit. Quodsi verô non aperiantur fores, ædes offunduntur tenebris, tonitru personant horrendô ruinamq; minantur, nisi qui intus sint, aperiant. Bodin. *lib. 3. cap. 5.*

Adhibitio rerum superstitiosarum Annuli.

Lactis fervefacti.

Intestinorum combustio.

§. XIII. Cùm de superstitiosis remediis sermonem inter severim: & verô superstitionem quandam sapiat, res ad nocendum per sagas positas, removere, forte non abs re, cum ejusmodi casus totâ die accidant, quæsituri erimus. *An signa*, (per quæ hoc locô intelligimus ollas, lingamina, claustra, pulveres, insecta, unguenta & alia similia) *quæ ex pactô cum damone saga adhibuit, ut aliquis maleficiô ledatur, sub limine defossa aut alibi reposita, si de iis ex confessionibus aut aliunde constat, liceat removere & destruere, ut diabolus nocere desinat?* Antequam respondeamus, ex superioribus præsupponо, ligamina, quamdiu durant, hominem manere ligatum, & pulveres quamdiu sub limine vel aliô locô remanent, non desinere morbos & mortes hominum pecorumq;, & hoc experientia, è plurimarum sagarum confessionibus elicita docuit abundè. His præsuppositis respondet ad præsentem quæstionem negativè simpliciter

Q. An signa removere liceat.

Resp. negativè Hesselius.

ter Johann. Heſſelius *in præfect. lib. 4. ſent.* cum ſuis diſcipulis, procul dubiô piô animô, ut homines à ſuperſtitionibus abſterreret. Ejus argumenta cum ſint prolixa, & numerô aliquot, ſaltim ponderoſiorum nucleum huc excerpam, quô inferior noſtra affirmans cum negativâ juncta clarior & perſpicuior evadat. Dicit Heſſelius (1) cum ſignum amovetur, ſanitas non expectatur à Deo, nec à causâ naturali, ſed à Diabolo. (2) Qui ſignum tollit, eâ ſpe ut nocumentum ceſſet, miſcet ſe pacto, quod maleficæ cum diabolô intercedit, quia diabolus cum malefica pactus eſt, ut ſignô poſito ipſe noceat, ſigno remotô deſinat: Ergo talis, dum interturbat pactum, de eô communicat. (3) Signum amovere eſt colere diabolum, quia eſt credere, quod poſſit nocere quibus & quando voluerit, quaſi à Deo non dependeat nocendi facultas. (4) Non licet declinare ad magos, ut ſcriptura docet: Sed qui amovet ſignum, declinat ad magos, E. (5) Diabolus nunquam ceſſabit ſponte à nocumento corporali, niſi ut gravius noceat in animâ, quod nocumentum etiam vel amovens, vel maleficiatus, vel uterq; hic perſentiſcit. (6) Quod Diabolus non ſit alligatus ſignis, poteſt enim nocere ſine ſignis, & poſitis ſignis liberum illi adhuc eſt, non nocere, ut & amotis ſublatisq; adhuc nocere ac non deſiſtere è nocumentô, (7) Diabolus non poteſt diutius nec fortius nec lenius hominem affligere, quàm donec ei Deus permittit, qui pactis hujusmodi non adſtringitur. E. abſurdum eſt, expectare remedium ab hujusmodi remotione ſigni, ſeu curare talia diaboli pacta. Tandem (8) ſuam ſententiam probat Heſſelius exemplo B. Hieronymi *in vit. S. Hilar.* ad quem, cum adducta eſſet puella à dæmone obſeſſa, & dæmon clamaret: Se invitum in puellam ingreſſum fuiſſe, utpote vi maleficiorum coactum: Nec poſſe eam relinquere, niſi prius ablatis ſignis ſub limine poſitis: Vetuit vir ſanctus ſigna perquiri & orationis virtute dæmonem expulit, ne, inquit Hieronymus, aut ſolitis incantationibus receſſiſſe dæmon videretur, aut ipſe ſermoni ejus fidem accomodaſſe. Verùm hæc argumenta unici Heſſelii pro negativâ adducta, ad quæ in conflictu reſpondebimus, quamvis haut levis armaturæ videantur, concluſionem tamen noſtram Affirmativam: *Signa nempe maleficii, etiam ſpe ceſſationis morbi vel mali, quærere licere, & inventa removere ac tollere*; ob rationes præ-

Ratio Heſſel.
(1.)
(2.)
(3.)
(4.)
(5.)
(6.)
(7.)
(8.)

Concluſio Affirmativa, ſigna eſſe amovenda.

prægnantes non evertunt, tanquam omnium nationum Hispanorum, Germanorum, Gallorum, Brittannorumque, ex iisq; Theologorum, JCtorum & Scholasticorum, calculô approbatam.

Affirm. nostr. ratio. (1.) Etenim firmatur nostra conclusio communi praxi cunctorum ferè ibiq; etiam bonæ conscientiæ & scientiæ; qui hoc modo maleficiatos sanat, & fortè alius modus sanandi, vix unquam occurrit. Sprengerus & Niderus exemplum de equo, quô vehebatur consularis quidam vir, refert: *Hujus equi membrum genitale aut penem, saga quædam inimica hero, vel potius ipsius nomine diabolus arctissimè ac intricatissimè vinculô colligaverat, ut à Veterinariô, cujus curæ equus commendabatur, forte fortuna nodum deprehendente unguibus dissolvere frustrà laboratum fuerit. Ferrô tandem nodô Gordiô soluto prosiliit protinus equus è strato, atq; per totum maxima copiâ concreti sanguinis rejectâ, convaluit.* Neq; huic equo ullum naturale remedium superat, quàm si nodus ille dissecaretur.

(2.) (2.) Probatur validâ ratione, quia in hâc amotione signi nulla intercedunt media illicita, sive enim actus *internos* (1) quæ sunt, desiderium ut sanitas reddatur, ac cessel nocere dæmon (2) opinio & credulitas; quâ sibi quis immaginatur, cùm sublatione signi pactum cessaturum, & cum pacto noxam, (3) est spes sanationis & cessationis: Sive actus *externos*, qui sunt rogare maleficum, ut signum tollat, & nocere per dæmonem desinat, vel jam nota signa externô opere tollere & destruere, spectes, liciti maximè sunt & superstitionis omnis expertes. Licita igitur omninò erit tota hæc amatio cum spe tollendæ noxæ. Nec est, quod Hesselius excipiat, semper huic amotioni subesse tacitam quandam honorationem seu invocationem dæmonis, cùm intentio amoventis sit inspicienda, qui non intendit hâc ratione, dæmonem honorare, vel eum invocare, aut pactum sagæ cum dæmone comprobare, vel quicquàm operari ex eo pacto: Sed intendit invocationem per sagam signô positô factam impedire, pactum illud nocendi rescindere, & annihilare. Multò minus horatio dæmonis ex hâc sublatione ulla elici potest, quia non tollit idcircò, ut putet illis rebus vim in esse nocendi, sed quod existimet, tamdiu hæc posita manebunt, dæmonem, Deô permittente, nocere posse

(3.) (3) Maleficus malefacit ponendo. E. aliquis benefacit tollen-

lendo. Objiciunt iterum Heſſeliani, omninò in tollendô eſſe ſuperſtitionem, propter pactum tacitum. Sed falſum & hoc eſt; Siquidem puer, ignarus, poſitum eſſe ſignum ad nocendum à ſagis, tollere poteſt. Isne propterea pactum tacitum cum dæmone habere dicendus erit? Minimè certè, & tamen dæmon ceſſat à nocendo.

(4.) Si licet declinare à locô, ubi poſitum ſignum ſuſpicatur; Si licet evitare perſonas, à quibus quis metuit lædi maleficiô. E. etiam licet removere ſignum cum eâdem ſpe, ne quem amplius lædat. (4.)

(5.) Licet maleficos maleficasq; è medio tollere, eâ ſpe ac deſideriô, ne hominibus amplius noceant, per diabolum, ut ejus viva inſtrumenta. Licet ergò ſigna quoq; earum tollere, ne per diabolum ea amplius noceant, ut ejus muta & fictitia inſtrumenta. (5.)

(6.) Licebit itidem argumentari à ſimili: Si quis cum hoſte in civitate obſeſsâ foret pactus; ut, ſuſpensâ de muro flammulâ candida, accurat, & portam occupet, urbeq; potiatur. Et tertius quispiam civium hoc reſciſcat: Nonne tollere licebit? Imò laudem & præmium merebitur ſi fecerit. Quis quæſo illum proditoribus conſentire dicat, ſed ob pactum hoſtile interruptum laudabitur. Cur igitur non eâdem ratione & jure, is, qui reſcivit, pactam iiſſe ſagam cum dæmone defodiendô ollam in necem ac perniciem hujus vel illius familiæ; Poterit eam tollere & tollendo liber & alienus à dæmoniaco pacto erit pronunciandus. Deniq; (6.)

(7.) Si licet quovis modo licito conatus dæmonis deſtruere, iisq; etiam maturè occurrere; ſi incantamentis aliquis dæmonem ad nocendum invitaret, rectè faceret, qui murmuranti os punô probè obturaret; Si per ſcripturam & characteres id conaretur, laude dignus eſſet, qui diſſiparet ac conſcinderet membranulas. Cur non idem Jus conceditur in ſignis poſitis, quæ ſimiliter dæmonem ad nocendum pelliciunt? Sicut ergò poſſum impedire, ne verbis vel characteribus Magus aut ſaga conſequatur effectum à dæmone, potero etiam ſigni alterius deſtructione id ipſum perficere. Vide de his plura apud Mart. Delr. *diſquiſ. Mag. L. 6. cap. 2. ſect. 1. queſt. 3.* (7.)

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An dentur Synagogæ & conventus diabolici, & an verè & corporaliter ad eos à Dæmone deportentur Lamiæ?

§ I. Hæc quæstio, ut eò solidius pertractetur, lubet incudi reddere (1) Conventus ipsos, quis indicet, ubi & quando instituantur. (2) In dictis his, præparatoria ad iter. (3) Ipsam corporalem translationem, & tandem (4) quid in conventibus his agatur.

Contenta totius quæstionis.

§. II. Uti olim Deus populo suo Hierosolymis Sinagogas erexit, ut in iis ignarus legis divinæ populus erudiretur, voluntatemq; Dei placitam ex verbô in iis prædicato hauriret: Ita & diabolus, in omnibus omninò suis actionibus simiam Dei agens, gregi suo acherontico conventus & synagogas, quas satanica sabbata vocant, indicit. In quibus sacris suos initiatur, in fide privatim datâ, huc illucq; nutante, (si fides est nominada) confirmat publicè, deteriorem veri Dei abnegationem majoremque sui cultum ab ipsis flagitat, artes & vias compendiosissimas nocendi rudioribus fideliter monstrat. Quos autem satis constantes expertus est, & in arte suâ quosdam progressus fecisse novit, eos easve examinat, ut ex iis resciscat, quàm rectè & dilligenter munus intoxicandi mandatum impleverint, & quos necaverint, eas, si probè officiô defunctas, animadvertit, laudat, præmiis ad majora audenda invitat, si quas segnes & remissas in opere offenderit, eas verbis diris objurgat, minis ac verberibus insequitur. Atque de hisce Conventibus & Synagogis Lamiarum nullus Autorum, quos quidem evolvi, imò nec ipsa Lamiarum Patronus, qvem suprà laudavi scilicet, ne dubiolum quidem movit. Quin & Remigius, qui sedecim annos causis Criminalibus in Lotharingia præfuit, ac non minus octingentos hujus criminis reos homines capite damnavit, testatur, eos omnes unô ore maximam hujuscemodi conventuum frequentiam, prædicasse. Adeo, ut tutò affirmari liceat, conventus à diabolô certò instituui. Quos vel ipse tanquam præses collegii, vel per dæmonem, qui ad cujuslibet sagæ custodiam constitutus est, (quem blandis cognomentis (ut Martinelli, Magisteruli aut alius) pro lubitu satanæ honorare coguntur sagæ) vel per alios Magos aut sagas, per unum aut duos dies, antequam fiat congregatio, denunciat & indicit.

Satanica sabbata.

Diabolus lamias examinat.

Indictio conventuum per quem fiat.

cit. Cum ipse per se evocat, aut suis humanâ formâ *Martinellus* apparet, aut saltim eâ, quâ dignosci à sagis potest. Adeò, ut nonnunquam eveniat, ut in eodem hominum cœtu, salus sortiarius vel saga satanam præsentem agnoscat, cæteri non possint, quanquam hominem cernant aliquem, sed ater an albus sit, nesciunt, *Daneus de sort.* Per alios fit denunciatio, quando per suos discipulos aut alias sagas vicinas evocat, locumque semper ac tempus certum in denunciatione ipsis præfigit ac designat. Ritè sic vocatis lamiis, quod si quædam justam causam impedimenti, quò minus conventui interesse valeat, prætexat, ea ipsa auditur, dummodò sit causa vera & excusabilis, quæ legitimè excusare posset. Alioquin si fingeret habere causam saga, quæ nulla esset, morasque necteret, quò minus non accedat, non deferebatur invita, sed remanebat in domo suâ, nihilominus pro pœnâ sui mendacii fortiter cruciabatur à dæmone, ut in mente & corpore maximis & continuis doloribus ac ægritudine intrinsecâ adeò miserabiliter vexaretur, ut die noctuque nihil penitus quietis haberet, sed semper tribularetur, & omnia, quæ ipsa interea ageret, evanescerent & perirent in fieri. Et his malis non evadebat lamia prius, quàm peccatum suum confiteretur, & promitteret etiam mediante jurejurando, quod imposterum non recusatura sit accedere. *Paul. Ghirl. de sortil. Q. 7. n. 28. in fin.*

In quâ formâ apparet Martinellus.

Impedimenta an excusent & quomodo?

§. III. Loci, in quibus solent à dæmone cœtus & conventicula malefica instituí, plerumque sunt sylvestres, occulti, subterranei & ab hominum conversatione remoti. Indicuntur sæpius in locis longè dissitis, peregrinis, caducis castellis & desertis, nonnunquàm in compitis. Sic in monte Atlante plerumque fieri conventus, tradunt *Mela lib. 3. cap. 44. & Plin. lib. 5. c. 1. In Hollandia Magus nomine Johannes de Vaulx Stabuleti decollatus ao. 1603. fatebatur exprecipuis locis generalium congregationum esse unum in ditione Ultrajectina, & eò se non semel Stabuletô delatum.* In Germaniâ locus hujus conventus sagarum esse creditur Mons Bructerorum. Nec improbabile forsan est, quoniam ille mons in mediâ Germaniâ situs est, & à Geographis umbilicus Germaniæ dicitur; Atque insuper in mediâ aëris regione constitutus, & juxta suprà recensita loca valdè nemorosus & ab omni hominum conversatione & præteritione remotus esse dicitur. De quo & Joh. Georg. Godelm. *L. 2. de Lamiis*

Loci conventuum quales?

In Germaniâ Mons Bructerorũ, conventibus sacer.

c. 4. *n.* 2. Pervulgata fama est, inquit, lamias totius Germaniæ certis unguentis illitas noctu Cal. Maji in montem Bructerorum vulgò Blocksberg oder Heweberg pajulari. Quin famam & hanc, ne quis figmentum putet, experientia & vera sagarum complurium confessio judicialis comitatur, cui indicio est Respons. Lipſ. Quæstori Ostravienſi Mens. Jul. ao. 1613. datum, ubi saga in confessione montem hunc ludis dicatum prodidit in verb. Sie wäre nur zweymahl auff dem Blocksberge geweſen/ und auff einer Ofenkrücken zur Feuer-Mäuren oben nauß und nirgend an ins Teuffels Namen hinnaus gefahren. Vorgedachte Böttigerin ihre Nachbarin/ hätte ſie mit einer Salbe geſchmieret/ darauff ſie beyde in einem Augenblick auffm Blocksberge geweſen/ daſelbſt ſie Kuchen gebacken und Bier getruncken/ aber keinen Wein/ auch getantzet/ und wären die Spielleute Sackpfeiffer und Trummelſchläger/ wenn ſie dahin kämen/ verblieben ſie ohne gefähr ein paar Stunden beyſammen/ und hätte allezeit eine junge Braut den Vorreyen/ dazu ſich ihrer ſo viel und von hundert Meilen weges her auffm Blocksberg finden thäten/ ſo man nicht alle zehlen könte &c. Et ad eundem Quæstorem in aliô casu Mens. Sept. ao. 1613. ib. Wie ſie denn auch ferner bekant und außgeſaget/ daß ſie mit der gerechtfertigten Täſchin und Kuntzen Ortheien auff dem Blockersberge geweſen &c.

Tempus conventuum.

§. IV. Tempus horum conventuum dum examinamus, deprehendimus cum Danæo, in tempore inſtituendorum nihil certi conſtitutique habere ſatanam; nec enim fieri hebdomatim, menſtruatim, vel etiam annuatim; Sed quando quotiesque iſti Magiſtro viſum fuerit. Communiter tamen bis vel ter in anno inſtitui ex plurimarum confeſſionibus creditur, de quo fidem facit Reſp. Lipſ. Kalten-Sontheimb an Valentin Gumperten Centgraffen mens. Jan. Anno 1613. ubi ſaga confeſſa eſt hæc: Zehen Wochen nach ſolchen Verlöbniß/ hätte ſie ihr Buhle auff einer kurtzen Gabel/ ſo in ihrem Hauſe hinter den Backofen geſtanden/ zum Tantze geführet/ welches nachmals des Jahrs drymahl geſchehen/ an Walpurgis/ Johannis und Jacobi/ zweene Pfeiffer ſo ihr unbekandt/ hätten mit Schalmeyen auffgeſpielet/ und ſie für den Tantze Mahlzeit gehalten &c. Tempus tamen nocturnum ac intempeſtæ noctis tenebras hiſce conventiculis conſecrari ac deputari à diabolô certum eſt,

Cur fiant conventi, tempore nocturnô?

(quam-

(quamvis nonnulli dicant, etiam fieri interdiu & meridie conventus) idque ob geminam rationem, quarum unam ſuppeditant nobis Theologi hanc: Quia nempe dæmon poſt fœdum caſum è Paradiſo effectus fuit obſcurus ac tenebricoſus, *Sanct. Thomas in tract. 44. Q. 16. art. 1. & 6. in dæmonibus.* Hinc lucem fugit, tenebras veſpertilionis in modum amat, & omnia opera, quæ ipſe peragit, claræ luci exponere ſubterfugit, ſed in obſcuro tenebricoſo loco & tempore tractat, eò maximè quia opera ipſa ſunt peccata, quæ communiter dicuntur nigra, & oppoſita luci veritatis, virtutis & juſtitiæ, juxta commune veriverbium, qui malè agit odit lucem, *c. pernicioſam 18. Q. 2.* Alteram reddunt nobis JCti hanc: Quia, ſi die ac clarâ luce conventiculos & cœtus ſubditorum ſuorum cogeret & agitaret, conſpici poſſent ab aliis, faciliusque fiſco aperirentur maleficia, ob quæ devenirent ad notitiam curiæ ac juſtitiæ publicæ, cui hoc modo incautè ſuas fideles capturæ ac ultimi ſupplicii periculo exponeret diabolus. Quare ne tàm facilè detegantur & impediantur, eorum opera, ſacrificia multâ de nocte celebranda curat in locis ut dictum, diſſitis & obſcuris, ne ea à quoquam ullum ferant incommodum.

Ratio Theologorum.

JCtorum.

§. V. Evocatæ hoc modo & tempore Lamiæ, conventus planè contra morem iter longinquum ingredientium, qui ſe totis viribus ad illud componunt, abollâ ſibi & aliis veſtibus proſpiciunt, adeunt. Lamiæ enim corpus ſuum, quod tamen tegi Deus juſſit, voluntariè veſtibus ſpoliant, & nudæ plerumque (nam & veſtibus quoque indutas levibus viſitaſſe conventus, compertum eſt) conventicula accedunt, idque turpi dæmonis fraude illud fieri certum eſt, ut eò facilius libidinis incendivum crearet, qui illis perſuadet, eas non poſſe conventiculis intereſſe, niſi nudum corpus ungventô, ex corpuſculis infantum ante baptiſmum necatorum præparato, illinant, idque propterea ſolùm illis perſuadet, ut ad quàm plurimas infantum inſontium cædes eas alliciat; Ac ne fortè, una ab aliis, ungventum, quod primâ vice ſaltim procedit, ſæpius mutuò accipiat, neceſſarium eſſe dicit, ut ipſæmet ſibi illud ex infanticidio comparent. Adeò miſeris prorſus imaginatur, vim translativam per occultam qualitatem huic ungvento ineſſe, quod tamen reverâ nihil confert ad delationem, aut ſi certè aliquid confert,

Præparatoria ad iter.

Sæpe nudæ plerumq; conventus adeunt.

Unctio ex infantibus componitur.

eatenus id efficit, quatenus per ea sensus corporis consepulti jacent. Et posset eas dæmon transferre sine ungventi usu, quod & sæpius effecit: Sed ungvento mavult uti, idque tum ob causam memoratam, tum etiam, quia timidiores sunt quædam sagæ, quàm ut audeant, vel quia tenuiores ac delicatiores sunt ad horribilem illum satanæ contactum in corpore assumto tolerandum, tunc ungventorum inunctione sensum obstupefacit membrorum. Ungvento verò per se nullam vim translativam inesse (quanquam Paracelsus hoc velit) vel inde patet, quod etiam, si qui statutô conventus tempore ex curiositate quâdam cupientes conventui interesse, se ungventô illinant, & reverà per aërem eò devehantur, (Deo id ad puniendam incredulam curiositatem tam temerariæ audaciæ permittente) tamen si quis fide firmus, charitate armatus ad fraudes dæmonis revincendas dissipandasque ad fidei veræ confirmationem eo se ungventô inungeret, (ut rectè Binsfeld.) nulla sequeretur translatio, quia hîc omne pactum cum dæmone cessat, neque id Deus esset permisurus. Et propterea, quando extra conventus tempora sese inungerent sagæ, non avolarent, nec auferrentur, eò quod illud pactæ non fuerunt. Sciunt hoc, & ideò non inunguntur, nisi audito conventus signô. Unctionis ritu peractô, abiturientes, ne fortè à maritis in lectis desiderentur, vel per incantationem somnum, aurem nimirum vellicando dextrâ manu prius prædictô ungvine illitâ, conciliant maritis, ex quo non facilè possunt excitari: Vel dæmones personas quasdam dormientibus adumbrant, quas si contingeret expergisci, suas uxores esse putarent, ut annotavit & exemplô probavit, *Remig. L. 2. c. 12.* Vel intereà alius dæmon in formâ succubi ad latus maritorum adjungitur, qui loco uxoris est, qui si opus fuerit omnia conjugis absentis officia in thorô conjugali subeat. Ad quæ diabolus se promptissimum exhibet, seque ita accommodare scit, ut etiam sapientissimum quemque fallere possit, *Paul. Ghirland. de sortil. q. 7.* Et ita sine omni remorâ insidentes baculo, furcæ, scopis aut arundini vel tauro, equo, sui, hirco aut cani, *quorum omnium exempla prodidit literis Remig. L. 1. c. 14.* devehuntur à dæmone ad loca destinata.

Cur adhibeatur.

Abeuntes Lamiæ vel somnum maritis conciliant,

vel alius dæmon se viris adjungit,

Quibus rebus insidentes ferantur?

§. VI. Ipsam delationem corporalem consideraturi; Non negamus, Lamias, quandoque præstigiis occupatas phantasiâ tantum

tum conventiculis intereſſe ſibi videri, ſæpiusque etiam hanc ſagarum translationem ſolâ animi cogitatione & illuſione diaboli fieri, qui mentem illarum captivam tenens, eamque in ſomniis deludens, per devia deducit, commeſſationes, ſaltationes, aliasq; jucunditates ei objicit, atque in ſomniis cogitatorum figuras, apparentia ſigna & operationes diabolus tam ſubtiliter & diligenter adumbrat, ut dementatæ, iſthæc in ſomniis oculô mentis videntes, verè & corporaliter ea ſeſe vidiſſe non dubitent, imò tam firmiter credant, ut, quæ lymphata mens vidit, jurejurando affirmare paratæ ſint, ſic eſſe geſta, cum tamen verè corpus de locô non moveatur, nec dapibus appoſitis ſtomachus latrans ſatietur. Quemadmodum & in ſomniis multa nos vidiſſe credimus, & iis locis interfuiſſe à quibus tamen abſuimus, ſæpe nos conveniſſe eos, qui longiſſimè tamen à nobis peregrè agebant, etiam plus quàm milliaribus ducentis. Cujusmodi ſpirituum illuſionis diabolicæ exempla ad ſacietatem produci poſſent, ſi tempus concederet. Non poſſum tamen, quin unici à *Paul. Ghirland. Q. 7. n. 6.* prolixè recenſiti ſummam referam: *In agro Sabino Maritus uxorem veneficam habebat, quæ communi fama pro tali agnoſcebatur: Ipſe tamen, cum ne minimam illius criminis ſuſpicionem ab illâ hauſiſſet, eam obſervare cæpit, & 12. noctes abſq; ſomnō transegit, quò videret, ſi ipſa de nocte iret ad ludum dæmonum; Sed illam ſemper in lecto invenit, manibus ſubinde palpando, nec ullo tempore abeſſe ſentit. Poſt paucos autem dies illa mulier cum aliis capta confeſſa eſt, ſe cum aliis ad dictum ludum dæmonum iviſſe die XI. menſ. tali nocte & tali horâ. Maritus verò volens defendere uxorem, aſſerebat ſub graviſſimô juramentô, quod uxorem ſuam illâ nocte de quâ dicebatur, illâ horâ in lectô jacentem habuerit, eam ſtudiosè tetigerit & pluries cum eâ collocutus fuerit.* Non etiam negamus, per ſomnum quandoque ecſtaticum à diabolô corpus ſagarum ita ſoporari, ut mortuo ſimile videatur, & interea ab eo ſpeciem conventiculorum illis objici, ut quæcunque in conventu fiant, coram ſe geri videantur, de quô aliquot exempla habet *Bodin. de damon. L. 2. c. 5.* quorum unum notari meretur. Dicit enim: Exemplum noſtra memoriâ apud Burdegalenſes habuimus Ao. 1571. & narravit mihi Comes Equeſtris ordinis qui adhuc vivit, & iſti experientiæ interfuit. Cum in Magos Galliæ inſtituta eſſet perſecutio. *Vetula quædam Burdega-*

Lamiæ quandoq; circa delationem in ſomniis deluduntur, & quomodo.

Exempl. ſagæ deluſæ.

Non negandū lamias ecſtaſi corripi.

galensis maga apud judices confessa est, se cum aliis per hebdomadas singulas fuisse exportatam, ubi magnus hircus aderat, quô autore abnegabant Deum, se diabolo servituras spondebant, singuli pudenda illius osculabantur, & post saltationes pulveres accipiebant quisq;. Tum D. Belotus Libellorum supplicum Magister, dicente magâ se nihil posse, nisi è carcere educta esset, volens rei veritatem explorare, eam educi jussit: Et illa cum se nudam certô adipe inunxisset, velut mortua expersq; sensu corruit, deinde post horas quinque reversa exsurgensq; permulta narravit, quæ variis in locis ita habere, ut dixerat, comperta sunt. Nullô modô verò ferenda est opinio *Bodini in confut. VVier. p. 447. & Friderici Balduini de Casib. Consc.* cujus opinionem. *L. 3. cap. 5. cas. 7.* de hâc re satis mirari non possum, & aliorum, qui putant animas sagarum Ecstasi oppressarum à diabolo è corporibus abripi, amoveri, abstrahi & ad conventus deferri, & rursus ad corpora, quæ interim mortua jacent, peractis conviis reverti. Nam si hoc diabolus efficere posset, utique in ejus potestate esset, homini vitam adimere, & eam defuncto restituere. Cùm verò anima unica in substantia indivisibilis, ac tota in quâlibet corporis parte sit juxta *Arist.*, eam certè non pro parte tantùm, sed in totum à corpore migrare, adeòque cadaver duntaxat remanere, necesse erit. Quid? quod majus est, talis animarum abreptio & cum corporibus mortuis reunitio, veram mortuorum inferret resuscitationem, quæ tamen sine summa in Deum blasphemiâ, creato spiritui satanæ tribui non potest. Cùm illi impossibile sit efficere, ut animæ è corporibus sagarum egrediantur. Absurdum etiam planè videtur, illud denegare diabolo, quod facilius factu, & ei attribuere quod longè difficilius est: Nam positô (in veritatis præjudicium non concessô) dæmonem animas à corporibus separare posse, minore tamen cum admiratione & faciliori negotiô corpus animamque simul auferre potest, quàm si à corpore segregatam animam, auferat, & aliquot interjectis horis demortuis corporibus restituat. Ghirland. *de sortil. Q. 7. n. 39. & Q. 10. n. 1. Remig. de dæmonol. Sperling. Synops. Phys. c. 4. Q. 1.*

Opinio Bodini & Balduini de animabus exportatis rejicitur.

§. VII. Ambabus largiti sumus manibus, posse aliquando lamias à diabolô per somnia deludi, ut videantur reverà exportatæ interfuisse comitiis nocturnis, quæ tamen altô somnô domi in lectulis sepulti jacuerunt. Concessimus diabolum somno ecstaticô ob-

obrutis lamiis glaucoma objicere posse. Attamen constantissimè negamus, nec largimur minimèque concedimus, hanc delationem semper & ubique per illusionem fieri, ac nunquam σωματικῶς lamias ad conventicula sua transportare diabolum. Siquidem hâc arte illusoriâ, *ut dicit Bodinus*, Satanas erga eos easve utitur, qui nolunt retegi, sive propter familiæ amplitudinem, seu propter alias causas non audeant magnos conventus adire, nihilominus tamen dant fidem diabolo, ut cum volunt, eum alloquantur domi: Quod si autem scire gestiunt, quid à sodalibus in ludis agatur, dicunt *Authores Mallei Malefic. p. 2. c. 3. Q. 1.* talem ab iis servari modum, ut istæ in nomine omnium diabolorum ad sinistrum latus se reponant cubitum, quo facto vaporem quendam glaucum ex eorum ore procedere, unde singula, quæ ibi agerentur profundè considerarent. Qui quæve verò tales excusandi causas non habent, illos unctos tibiis inserto baculô aut alio instrumento, vel etiam sine ungvento, pileo aut pallio impositos pronunciatâ prius precatione in diaboli nomen conceptâ; (quam imperat ac docet) Diabolus gestat ad loca conventuum, ac tam velociter devehit, qūemadmodum, (ut putat Scribonius *in suâ Physiologiâ*) ventus spirans plumam à terrâ elevat in altum, & ante se donec eò loci veniat in quo steterit, propellit. Baculos eum in finem adhibet diabolus, ut putent lamiæ, se adjumentô illorum instrumentorum vehi, cum tamen ipse interim invisibili modo eas vehat & portet. Et hanc diaboli corporalem delationem in dubium tutò vocare non possumus, propter immota, tùm ex sacris literis, tùm etiam ex historiis, actis judiciariis, testium comprobationibus, convictionibus, confessionibus & executionibus sagarum infinitis, petita fundamenta. Nam (1) non potest dari quidquam, quod reddat hanc delationem impossibilem. Adest nimirum corpus movens (nam diaboli licet corpora naturalia sibi unita non habeant, possunt tamen quandocunque volunt, diversas assumere corporeas formas, & in corporibus assumtis multas naturales operationes edere) Non obstat corporis moti resistentia vel gravitas, quia longè major est vis dæmonis moventis, qui montes suâ movere sede posset: Non laboriosum ipsi aut arduum est currenti aërem diffindere, quemadmodum nobis: Non obstat celeritas motus ad locum remotum spatiô exigui tem-

Sagæ non semper deluduntur à Satanâ, sed sæpius coporaliter deferuntur.

Quomodò absentes sciant, quid in ludis agatur.

Vectio velocissima.

Cur baculos adhibeant Lamiæ.

Cur non sit delatio impossibilis argumentum.

temporis, hoc enim valet efficere agilitas & vis naturæ Angelicæ.

2dum. Ex qua infero (2) Quia mali Angeli eâdem potentiâ naturali præpollent, quâ boni, ſiquidem illi etiam poſt lapſum omnes dotes naturales, amiſſis ſaltim dotibus gratiæ, retinuerunt. At boni Angeli ſuâ potentiâ poſſunt vel in momentô temporis non tantùm ipſi immenſa aëris ſpatia decurrere: Sed & homines nullô negotiô unà ſecum traducere, uti probat hiſtoria Abacuci capillo in Babylonem tranſportati, *Dan.* 14, 35. Philippi à ſpiritu ex deſertô in Azotum delati. *Act.* 8, 26. & 40. E. & diabolos idem quoque facere poſſe conſequitur.

3tium. argum. ab Exemplô Chriſti. (3) Non ficulneum hujus deportationis argumentum noſtræ probationi accreſcit, ex exemplo Chriſti Salvatoris noſtri, quem ita permittentem diabolus, quæ ejus eſt impudentia, per montium ac tectorum ſumma, non pedetentim, ut volunt Theologi, ductum, ſed ſubitò abreptum in pinnaculum templi locavit, *Matth.* 4. Ex quo concludimus: Si dæmon potuit tàm ſanctum & impollutum corpus Salvatoris noſtri, in quod nullum jus ipſi fuit, attingere, ſublime corripere & per aërem deferre; Non reformidat profectò audax ille aggreſſor, ſagarum ac ſervorum ſuorum corpora contrectare & bajulare, quoniam illorum animam & corpus ſuum eſſe jam pridem agnoſcit. *Danæus.*

4tum à læſione. (4) Si Satan Dei conceſſione poteſt corpora noſtra lædere & interficere, quod ſuprà demonſtratum: Multò magis Deô permittente poterit ea portare, ſublevare, & quemadmodum lupus ovem à ſe correptam agere, *Danæ, de ſortiar. cap.* 4.

5tum ab autoritatibus. (5) Si liceret autoritatibus ſummorum virorum, ponderatis eorum rationibus, jam certare, longum catalogum contexere liceret, præcipuos tamen L. B. hujus veri & realis ſagarum delationis defenſores accipe: *Danæ. dict. loc. Binsf. de malef. prælud.* 13. *c.* 2. *VVier. de præſt. dæmon. L.* 3. *c.* 12. *Paul. Ghirl. de ſort. Q.* 7. *per tot. Rimig.* 1. *dæmon.* 14. 15. 16. *Mall. Malefic. p.* 2. *c.* 3. *Bodin. de Mag. dæmon. L.* 2. *c.* 4. & 5. *Martin. Delr. diſquiſit. Mag. L.* 2. *quæſt.* 16. *tom.* 1. *Alber. Gentil. ad L.* 6. *C. de Malefic. & Mathem. Philip. Ludvv. Elich. in dæmon. Q.* 10.

6tum. à Confeſſionibus Lamiarũ. (6) Ad obtinendum realiter deferri ſagas, in medium produco tot innumerabiles ſagarum confeſſiones, quæ illam revera fieri confirmant, nec ſomnia iſtarum ſunt cenſendæ confeſſiones adeò inter ſe congruentes, ut etiam in circumſtantiis minutiſſimis non multùm diſcrepent; Quod ſcilicet

illâ

illâ horâ vel die fuerint in monte Bructerorum vel alibi, qui autem somniant, diversa somniant, nec in unô, ad eundem scopum tendente, semper hærent. Nec putandum, per tormenta ejusmodi confessiones extorqueri, ac metu majorum cruciatuum, quidlibet de quô ne unquam in vita cogitârunt, eas confiteri ac mentiri. Repetunt enim confessa adhuc in ipsô rogô, ubi exhausta jam sunt tormenta, ubi nulla fixio est profutura, unde non præsumuntur immemores salutis suæ *l. 6. C. ad L. Jul. Repetundar.* cum mendaciô & peccatô mori velle. Locos per quos iter fecerunt sagæ, vicinas arbores, sepes, flumina, domos ad ungvem notarunt, cibos & potus narrant, convivas alios de vultu agnoscunt, numerum eorum callent, obvios quoque quos in viâ habuerint sæpe salutant, cernuntur non rarò ab aliis. Quæ omnia profectò fieri non possent, si hæc vana tantùm animi spectra fuisse, neque iis cœtibus ipsæ interfuisse credantur. (7) Ab experientia, quæ est rerum magistra & singularium cognitio 1. *Metaph.* fortè non elumbis hujus delationis erit petenda probatio. De Johan. Faustô Wittebergæ temporibus divi Lutheri commorante, qui pallio insidens cum suis sociis per aërem à diabolo ad longinqua regna eductus & bajulatus est, nemo dubitat. Exempla non pauca Maritorum & aliorum, qui curiositate & novitate ducti cum uxoribus, vel etiam soli, ungventô peruncti ad conventus delati sunt, postquam autem moniti immemores nomen *JESU* nominaverunt, omnes isti conventus subitò disparuerunt, ipsi verò soli in locis dissitis & nemorosis nudi relicti, vestimenta emendicare & pedibus iter aliquot centum milliarium domum conficere sunt coacti. Cujusmodi bina exempla habet *Paul. Ghirland. de sortil. Q. 7. n.* 26. & 27. Unum de Rusticô ab uxore: Alterum de virgine sedecim annos habente ab aliâ sagâ ad conventus delatis & modo prædicto nudis & solis relictis. Sæpe hâc deportatione sic defatigantur lamiæ, ut domum reversis per triduum totum sit decumbendum, priusquam pedibus possint consistere, quod docet *Remig. L. 1. c. 24.* Si autem illæ in spiritu solummodò & illusione exportarentur, quid esset opus conqueri de corpore nimiô labore defatigatô, quia corpus non laborat in somniis, sed animus duntaxat. Interdum & ipsæ sagæ Leberide nudiores è turbine seu nube

7mum ab Experientiâ.

Exempla.

decidentes vulneratæ aut mutilatæ membris sunt inventæ, quale exemplum recenset idem *Paul. Ghirland. d. l. Q. 7. n. 30.* quod brevissimis referam verbis *Ao. 1524. sibi, ut inquisitori, dicit, oblatam quandam Lucretiam (nam sic nomen erat sagæ) quæ, dum ex congregatione ludorum revehebatur domum, & sub auroram matutinus campanæ sonus, quô ad orandum populus excitatur, fuerat auditus; subitò à dæmone vectore prope flumen in agro spinis obsitô relinquebatur. Fortè juvenis ei bene notus illàc transibat. Eum ergò miseram nomine propriô advocat. Juvenis, videns totam nudam præter verenda femoralibus contecta & passis crinibus, accedere formidabat. Persistit illa blanditiis allicere, tandem appropinquavit & quæsivit habitus, & moræ eò loci causam: Illa primùm alia omnia prætexere, & multa mentiri, donec juvenis incredulus negarit, se illi opem laturum, nisi vera fateretur: Illa fidem secreti stipulata à Juvene, confitetur, se, cum eâ nocte reverteretur à ludis Peneventanis, & dum esset in itinere deferretur per aërem, à Magisterculo suo auditô sonô campanæ pro Ave Maria; (quo necesse habet onus deponere dæmon) hôc locô ab eo esse depositam & relictam. Quô factô juvenis eam secretô domum perduxit, & multis ab ea muneribus donatus fuit? Sed tandem datæ fidei immemor juvenis rem uni atque alteri narravit. Sic paulatim sparsô rumore, mulier capta & juvenis testimonium veritati perhibere coactus est* hæc Ghirland.

Q. An lamiæ per caminum aut alia loca, à diabolo ferantur.

§. VIII. Hæc realis delatio trahit me quoque ad illam vulgò agitatam quæstionem: *An diabolus Lamias Corpore per angusta foramina parietum, fenestrarum, portarum, aut per cavernas ignifluas ferre queat?* Resp. Lamiæ prædicto modô sæpius fatentur, sese à diabolô per caminum aut alia loca angustiora scopis insidentes per aërem ad montem Bructerorum deferri; uti indiciô esse potest supra §. 3. allegatum Responsum Lipſ. ib. auff einer Ofenkrücken zu Feuermäuren/oben nauß und nirgend an/hinnauß gefahren. Verùm deluduntur à Satanâ istæ mulieres hôc casu egregiè, nec. reverà rimulas istas penetrant, sed solummodò dæmon præcedens latenter aperit, & claudit januas vel fenestras corpori earum capaces, per quas eas intromittit, quæ putant, se formam animalculi parvi, mustelæ, catti, locustæ & aliorum induisse. At si fortè contingat, ut per parietem se delatam confi-

Diabolus fores prius aperit & ducit sagos.

confiteatur Saga, tunc si non totum hoc præstigiosum est, dæmonem tamen maximâ celeritate tot, quot sufficiunt, lapides eximere, & sustinere alios ne ruant, & posteà eâdem celeritate atque dexteritate iterum eos in suum locum reponere, existimo: Cùm hominum adspectus hanc tartarei latomi fraudem nequeat deprendere. Idem quoque judicium esse potest de translatione per caminum. Siquidem si caverna igniflua justæ amplitudinis est, ut nullô impedimentô & hæsitatione corpus humanum eam perrepere possit, diabolo impossibile non esse per eam eas educere; Si verò per inproportionatum (ut ita loquar) corporibus spatium eas educit, tunc meras illusiones præstigiosas esse censeo, nec à diabolô hoc unquàm effici posse. Ratio est, quoniam diabolus essentiam creaturæ seu lamiæ immutare non potest, multò minùs efficere, ut majus corpus penetret per spatium improportionatum, alioquin corporum penetratio esset admittenda, quod contra naturam & omne Physicorum principium est Hoc enim soli Deo reservatum, & fœminæ ope dæmonis non magis per loca illa angusta evadere possunt, quàm camelus transeat per foramen acus, quod habetur ab ipsô Christô pro ἀδυνάτῳ.

Ratio cur non possit diab. sagas per loca angusta ducere.

Immutare Creaturas est de reservatis Dei.

§. IX. Haut Oëdipô conjectore opus erit, quid inconventibus hisce institutis mancipiis suis præsentibus rerum agatur, quibusque de rebus consultetur, cùm non ignotum sit, principem diabolorum Beelzebub, catervâ acherontica stipatum, esse præsidem totius conventus, qui omnia consilia & actiones suas ad contemtum divinum & hominum perniciem dirigit. Nam ibi dæmon præses conventus in soliô sedet magnificô, formâ terrificâ, ut plurimùm hirci vel canis. Ad quem advenientes viri juxta ac mulieres accedunt, reverentiæ exhibendæ & adorandi gratiâ, non tamen unô eôdemque modô, interdum complicatis genubus supplices: Interdum obversô incedentes tergô & modô retrogradô, in oppositum directô illi reverentiæ, quam nos præstare solemus. Nos enim inclinamus caput, & humeros flectimus genu retrò curvatô, vertentes vultum ad personam, quam veneramur. Dæmonis verò Vasalli Ligii (ut ita loquar) contra faciunt, quia terga obvertunt Principi suo & caput curvant versus humeros, adeò ut mentum Cœlum respiciat. Crura etiam non

Quid in Conventibus his agatur?

Dæmon præsidet conventibus in formâ hircinâ.

Reverentia quomodo perâgatur?

inflectunt retrò ut nos facimus, ſed elevant ſurſum à terrâ à parte anteriori *Ghirl. de Sort. Q. 7. n. 29.* In ſignum homagii (ſit honor caſtis auribus) Principem ſuum hircum in podice ſummâ cum reverentiâ ſacrilego ore oſculantur. Quo facto ſac ficia dæmoni faciunt multis modis; Sæpe liberos ſuos ipſi offerunt, uti Mater Cunonis Reverenſis *apud Binsfeldium* & anno 1455. quædam alia tres liberos ſuos *apud Jaquerium c. 7.* Sæpe communione ſumtâ benedictam hoſtiam in ore aſſervatam & extractam (horreo dicere) dæmoni oblatam, coram eo pede conculcant, ut multæ ſtriges inquirente Jaquerio confeſſæ fuerunt. *c. 8.* His & ſimilibus flagitiis & abominationibus execrandis comisſis, dicit Mart. Delrio L. 2. Q. 16. p. m. 173. incipiunt meſſis aſſidere & convivari de cibis inſipidis, inſulſis, furtivis, quos dæmon ſuppeditat, vel quos ſingulæ attulêre, interdum tripudiant ante convivium, interdum poſt illud. Solent diverſæ menſæ eſſe, tres vel quatuor cibis interdum delicatiſſimis, interdum valde inſipidis & inſulſis onuſtæ, quibus pro dignitate aut opibus, ſinguli locantur, aliquando ſuus cuique dæmon aſſidet, aliquando maleficæ unâ ex parte, & ſuus cuique dæmon ex adversò. Nec menſæ ſua deeſt benedictio cætu hoc digna, verbis conſtans planè blasphemis, quibus ipſum Beelzebub & creatorem & datorem, & conſervatorem omnium profitentur: Eadem ſententia eſt gratiarum actionis, quam ſubdunt menſis ſublatis. Legi formulas, *inquit* Delrio, manu famoſiſſimi cujusdam malefici notatas. Convivio interſunt facie interdum apertâ, interdum velatâ larvâ, linteô vel aliô velamine aut perſonâ: Sic etiam perſonatæ frequentius. Poſt convivium quisque dæmon ſuam, quam cuſtodit diſcipulam, manu prehendit; & ut omnia fiant ritu, quàm poſſunt abſurdiſſimò, dorſis invicem obverſis, & in orbem junctis manibus, jactantes capita more fanaticorum, choreas ducere; Nonnunquam candelas accenſas manu tenentes, quibuscum ante dæmonem oſculantes adorant, & cantare feſcenninos in honorem dæmonis obſcæniſſimos, vel ad tympanum fiſtulamve ſedentis alicujus in bifidâ arbore ſaltare, omniaque ridicule & contra cæterorum morem peragere, tum ſuis amaſiis dæmonibus fædiſſime commiſceri. Denique addunt, quemque narrare ſua ab ultimò conventu facinora, quæ

Signum homagii eſt oſculatio podicis

Sacrificia quæ offerant ſagæ?

Sagæ menſis accumbunt.

Cibi cujus ſaporis?

Benedictio menſæ.

Obvelatô capite ſæpe accumbunt.

Poſt convivium quomodo choreas ducant?

Examen de maleficiis.

quò

quò graviora & magis execranda fuerint, eò collaudari uberius: Si nulla sint, vel non satis atrocia verberari segnes atrocissimè à dæmone, vel à maleficô quopiam Seniore. Ultimò pulveribus, (quos aliqui scribunt esse cineres hirci illius quem dæmon assumpserat, & quem adorant, subitò coram illius flammâ absumpti) vel venenis aliis acceptis, sæpe etiam cuique indicto nocendi personæ, & pronunciato Pseudothei dæmonis decreto: ULCISCAMINI VOS: ALIOQUI MORIEMINI. *Hæc Delr.* Saltationes instituuntur in orbem ore extrorsum obversô, ita ut non videre possit altera faciem alterius, quod aliàs in popularibus saltationibus receptum est, forte eo consilio, ut alii non possint alios commodè observare atque agnoscere, ne indicantur, si forte quædam in manus Judicum incidat *Bodin. de Mag. dæmon. L. 2. c. 4.*

Pulveres ex quibus rebus comparantur?

Mina.

Cur saltationes inversô modo fiant?

§. X. Duabus aut tribus horis in hisce ludis exactis, circa gallicinium dæmon convivas suas dimittit, ac domos repetunt pedibus, si propè sunt, sin distantiores, eodem quo advecti modo brevissimô tempore ab eo revehuntur. Paul. Ghirl. JCtus Italus, qui ex multarum maleficarum examinibus caute institutis diabolicæ religionis & professionis Sagarum secreta benè habuit cognita, duo circa deductionem *quæst. 7. n. 29. in fin.* observat. Primum est, quod dæmones festinent reportare Lamias domum, antequam labatur nox, antequam pulsetur campana pro *Ave Maria* (pro quô nos, qui cultum adorationis B. Mariæ non tribuimus, utimur signô campanæ ad preces matutinas Deo fundendas) quæ manè pulsari solet in aurora, vel parùm ante. Nam si contingeret, ut pulsaretur campana tempore, quo deferuntur domum, necessè haberet illarum Magister, in eodem loco, ubi audit sonum prædictum, deponere mulierem, aut virum, nec posset amplius ipsas tangere, sed cogerentur residuum illud itineris pedibus propriis conficere. Quod perrarò quidem evenire solet, quia tam velociter ipsas reportat dæmon, ut à sonô facile non impediatur. *De quâ depositione Sagæ denudatæ à juvene inventæ supra §. 7. retuli exemplum.* Secundum est, quod Sagæ sæpe adeò fessæ de ludorum choreis & saltationibus revertantur domum, ut per tres aut quatuor dies toti corpori malè sit.

Tempus abitus quales?

modus revertendi domum

festinatio in itinere.

Diab. sagas deponit ad auditum signi pro Ave Mariâ.

Sagæ à ludis fessæ.

QUÆSTIO VI.

An Lamiæ revera cùm dæmonibus concumbant, ac rem veneream exerceant?

Authores concubitũ ſagar. cum diab.

§. I. Nos, ut quæſtio hæc ſatis controverſa enodetur, conſiderabimus (1) concubitum dæmoniacum ipſum, an fieri, & quomodo poſſit (2) effectum ejus.

Negantes.

§. II. Concubitum dæmoniorum cum hominibus impoſſibilem eſſe, naturæ diabolorum contrarium & plane phantaſticum, multi haut contemnendis rationibus moti contendunt. Præprimis tamen Wierus *de præſt. dæmon. L. 3. c. 21. & peculiari Libr. de Lamiis. 3. cap. 25.* Johan. Fichard. *Conſ. III. n. 4. Item conſ. 116. n. 2. T. 2.* Godelm. *Lib. 2. de Lam. c. 15. n. 12*, quem *ſequitur* Ludov. Gilhauſ. *in Arb. Cr. c. 2. T. 17. n. 13.* Qui dicunt (1) Impoſſibile eſſe,

Eorum ratio prima.

ut ſpiritus corpore expertes, membris genitalibus deſtituti, ſeminis ex cibô & potu bene digeſti vacui, amore fœminarum carnalium capiantur. (2) Naturæ dæmonum adverſari, appetere coitum, qui nullum alium ob finem fit, quàm ut ſui ſimilis procreetur. In primâ autem creatione certus ac determinatus eorum numerus eſt conditus, qui nec morte imminui, nec concu-

Secunda.

Tertia.

bitu multiplicari poteſt. (3) Dæmoniacos concubitus eſſe meras Phantaſias & illuſiones, quæ etiam honeſtis & probis ſæpe mulieribus accidunt. Atque exinde concludunt confeſſiones lamiarum de concubitu eſſe erroneas nulliusque momenti. Verùm Nos

Cum nobis affirmantes Authores.

his dubiis ſatis facientes Affirmativam: *Diabolum nempe cum Sagis verè non illuſorie ſapiſſime, rarò autem imaginariè congredi*; tuebimur ob rationes maximi ponderis, graviſſimorum auctoritate Virorum tam Theologorum, Medicorum, Philoſophorum, quàm, JCtorum: Veluti D. *Hieron. Auguſtini Iſodor. B. Luthers. It. Mallei Maleſ. Binff. Remig. Jac. Reg. Angl. Goed. Thom. Eraſt. Mart. Delrionis JCti pariter ac Theologi exactiſſimi, Philip. Ludvv. Elich. Gœhauſ. Petr. Greg. in Syntag. J. U. Frid. Balduini inſignis Theologi, in Caſib. conſc. L. 3. c. 5. caſ. 113. p. 761.* Ad *primum* dubium ab impoſſibilitate deſumtum Reſpondemus *Negando*, dæmoni concubitum eſſe è numerô impoſſibilium. Licet enim corpus, membris genitalibus & ſemine conſtans, non habeat, quamvis ſint cum quibus

Reſponſio ad primum dubium.

bus nos non facimus, qui habere contendunt, dicentes, dæmonum corpora inter terrenam & ætheream naturam media esse. *Apulej in Asin.* dæmones semen jacere, ex quô perpusilla oriuntur animalia, habereque membra genitalia, sed non qualia hominis, & excrementum ex illis manare *Psellus de demon.* In confessò tamen est, & inficias ire natus nemo potest, diabolum sibi corpus, idque vel demortui cadaveris, vel ex vaporibus, puta, aëre terrâ & aquâ concretis densatisque molem, quæ videri & palpari possit, circumdare, assumere, illudque artificiosè movere posse: Sperma verò quoniam exangue corpus est, aut ex pollutionibus virorum nocturnis, aut aliundè ab aliis scilicet diabolis succubis, quise in formâ pulchræ puellæ Viris veneficis supponunt, exceptum, destinatis locis Sagarum applicare posse. Exemplum ex Guilhel. Parisiens. adducit notabile D. Joh. Suev. *in prælect. publ. ad l. 14. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. Nim. diabolum bestiæ corpore indutum egregiè delusisse militem, qui cum putaret se formosâ potitum virgine, tandem fraude detectâ cognovit se in amplexu cadaveris beluini tabie jam soluti jacere. Id quod etiam probant multa alia exempla, à quorum relatione prolixâ abstinendum.* Quid quæsò impediat satanam? quò minus eôdem modô suis sæpissimè imponat amatoribus & amasiis, ut vel cum formosâ virgine, vel cum Juvene fascinosô se coire opinentur *Petr. Theodor. in Coll. Cr. Disp. 7. th. 13. lit. N.* Perinde ergo erit an diabolus ipse per se corpus & sperma coitui idonea habeat, an aliunde illa formet, mutuetur & furetur; sufficit, quod in assumtis illis corporibus virilia officia tam strenuè obire queat, ut etiam non tortæ fateantur lamiæ, majorem ferè delectationem ex coitu Satanicô sese sentire, quàm ex propriorum Maritorum concubitu, & propterea sæpe aversari horum complexum, ac dæmoniacum anteponere. Quod observatum ab *Herm. Goehausf. in pericul. Academ. Q. 3. ex Actis Judiciariis anno 1628. mens. Aug. Fasagæ. Contubicultat. suæ Rintelens. à Comite quôdam transmissis.* Ubi Venefica quædam confitebatur, postquàm primô die nuptiarum cum novô maritô consuevisset, alterâ nocte diabolum cum ipsa fuisse congressum, & quidem adeò potenter, hätte der massen mit Ihr gebuhlet, (ut verba propria referam) Daß sie zu Ihres Mannes Beyschlaff keine Lust gehabt.

Semen unde diab. sumat.

Exempl. mulieris à demone inconcubitu delusæ.

Voluptas ex coitu satanico Exemplum. Sagæ. Contubium viri aversantis.

Secun-

Responsio ad secund. dubiũ.

Secundò locò quod dicitur (1.) naturæ dæmonum adversari appetere coitum, illud apertè contrariatur S. Scripturæ, quæ ipsi primariò attribuit omnes fornicationis actus *Hos.* 4. *vers.* 12. ubi dicitur satanas spiritus fornicationis & spurcitiei. Imò variis in Scripturæ locis audit immundus, qui cœnô, ut sus in volutabulô luti fœtidi, valde oblectatur (2) dæmones non opus habere coitu, quoniam in primâ Creatione eorum numerus certus est conditus, qui concubitu non potest multiplicari. Sed quantùm mihi videtur, illi malè confundunt inter se nudum congressum, & ipsam generationem. Siquidem & Nos negamus, dæmones cum sagis verè generare, & ex semine ablatô prolem excitari posse. Malè hinc à generatione ad congressum fit argumentatio, nec planè sequitur: Quorum genus non potest per coitum multiplicari, illi non possunt coitum celebrare. Ad *Tertium* argumentum, quô evincere dissentiens Godelman. *L. 2. c. 5. n.* 11. vult, concubitus dæmoniacos esse meras illusiones, quæ etiam honestis ac probis sæpe mulieribus accidunt; Respondemus, Godelmannum nimis confidenter ac temerariè loqui, dum statuit, honestas ac probas matronas, quibus planè nullum cum dæmone commercium est, eôdem modô circa concubitum deludi, quô Sagæ quæ scelestæ dæmonum coitionis sordes ferunt. Certè Godelmannus, in confessu honestarum matronarum à veneficii crimine purarum, hanc comparationem si instituisset, ipsius profectò barbæ ingens calamitas imminuisset, nec prius veniam impetrasset, quàm sponte confessus fuisset, se, in confundendô *morbô naturali*, qui Medicis *incubus græc.* ἐφιάλτης dicitur, quô affectu etiam sanctæ & piæ fœminæ, in quas nullum jus diabolo est, corripi possunt; *Et Incubô dæmone*, qui in corpore assumtô congressum cum sagis habet, turpiter fuisse lapsum. Quæ tamen duo omninò sunt distinguenda, nisi quis absurditatis argui velit? Planè enim nulla est consequentia; Honestæ matronæ ab Incubô morbô sæpicule infestantur: Ergo & eôdem semper morbô opprimuntur Sagæ, nec unquam incubum dæmonem experiuntur. Definiunt quippe Medici incubum morbum, esse affectum talem, cum spiritus animales à vaporibus crassis juxta thoracem intercipiuntur in somnô, quò minus in cerebrum influxum præstare possint. Sagarum incu-

diabolus spiritus est fornicationis.

Confunditur congressus & ipsa generatio.

Responsio ad tertium dubium.

Godelm. cum ingratiis honestarum mulierum, confundit incubum morbum, & incubum dæmonem.

definitio incubi morbi.

incubum si liceret juxta hanc definitionem examinare, certè toto cœlô honestarum matronarum morbum, à sagarum morbo differre deprehendemus. Honestarum matronarum morbus ex vaporibus crassis oritur, ut videatur vis externa cor invadere, cùm tamen nihil quicquam videant aut tactu percipiant: Ast Sagæ confitentur, suum incubum non à vaporibus oriri, nec externâ sese saltem mole premi, sed ipsis etiam membris genitalibus instrumentum immitti, semenque frigidissimum emitti, amasiosque ab ipsis videri, palpari, interrogari, quod in honestis matronis minimè fit. Honestas matronas, morbus incubus in sommô & nocte opprimit. Ast Sagæ confitentur, se incubum suum, non in somnô solùm, sed etiam vigilantes & interdiu, imò sæpius dum in opere faciendò occupatæ sunt, nec somnum oculis viderunt, pati, in itinere sæpe ab eô de stuprô appellari. Diversitate igitur incuborum monstratâ dicendum erit, incubum sagarum longè differre ab incubô honestarum mulierum; Illarum esse nihil aliud, quàm ipsum dæmonem in forma juvenili eas amplexantem: Harum verò esse morbum ex naturalibus causis ortum.

Collatio incuborum inter se.

Incubus dæmon sagas interdiu & vigilantes subigit.

Incubus morbus longe diversus ab incubô dæmone.

§. III. E datis hisce responsionibus satis superque Affirmativa nostra firmatur; Lamias videlicet verè cum dæmonibus venerem exercere. Eadem porrò etiam ab experientiâ & confessionibus lamiarum comprobatur infinitis, tam anteriorum seculorum, quarum longam seriem recenset *Bodin. dict. L. 2. c. 7.* quàm proximorum ac nostrorum temporum, quarum non paucas confessiones Dominus Carpz. ex responsis Scabb. Lips. collegit in Pract. Cr. P. 1. Q. 50. n. 66. Ubi nulla ferè sententia habetur, in quâ non sagæ examinatæ satanicæ istius sodomiæ se reas confessæ fuerunt his formalibus: Daß sie mit den Teuffel unmenschliche unnatürliche Unzucht getrieben / eamque tot tantisque circumstantiis, *temporum* die, an nocte, *locorum*, an in lectô, an in nudâ terrâ congressus fuerint instituti, *numerorum* coituum, *formæ* & vestitus amasiorum, *quantitatis* aut *qualitatis* membri & seminis, an frigida, an calida fuerint, sæpenumerò *precii* pro stuprô dati & quæ aliàs in concubitu acciderunt, Judicibus ordine exposuerunt, ut confessiones earum, de istô concubitu iterum iterumque repetitæ non sint nec debeant pro illusionibus & phantasiis perversæ imaginationis haberi, multò minus à Judice pro impossibili-

Affirmativa nostra probatur ab experientia.

Confessiones sagar. de concubitu cum omnibus circumstantiis non sunt falsæ.

non sunt somnia.

sibilibus sperni ac negligi à Judicis Actuariô. Urgent quidem dissentientes Confessiones lamiarum esse erroneas, cùm concubitus ipsi sint tantum somnia & illusiones. Verùm negavimus in dictis, semper quoad concubitum lamias deludi, & ad confessionem earum replicamus: Credendum potius harum mulierum confessioni contra se ipsas factæ, præprimis si hujusmodi se commisisse fatentur, quæ dæmoni impossibilia non sunt. *Delrio Disq. Mag. Lib. 2. quæst.* 15. Inde præsumendæ sunt non delusæ, donec delusæ fuisse probentur. Neque hæc mulieribus sagis, ut jam demonstravimus, somnô depressis internâ quadam imaginatione, sed plerumque certò & perspicuè vigilantibus accidunt, nec semper nocte, sed sæpe clarâ die videntibus aliis coiverunt cum dæmone. Quâ de re Sprengerus refert, persæpe sagas in agris & sylvis sese retegere, & clarâ die coire cum diabolô, & sæpe retectas in agris visas, interdum etiam hærenteis diabolos (quos homines esse existimabant) à viris suis esse deprehensas, eosque gladiô cædenteis nihil effecisse.

Confessionib. creditur donec delusio probatur.

Sagæ à viris in ipsô concubitu cum dæmone deprehensæ.

Quomodo fiat concubitus?

§. IV. De modô quomodò fiat concubitus, castæ aures multa differere vetant. Sufficit scire, Viros & Fœminas maleficos verè ac naturaliter, puta, viri cum succubis dæmonibus, mulieres verò cum incubis concumbere. Atq; aut ordinariam, aut præposteram libidinem exercere. Quamquàm præposteram multi negent, præter rem tamen, cùm nihil adeò sordidum sit, quod non *κακεργὸς* iste subeat, ut hominum animas certiori exitiô involvat, ideò offert cuique quô illum capi posse sperat. Possunt itaque Judices etiam de hôc inquirere. Nam tunc, licet propter summam enormitatem augeri crimen non posse videatur, gravius tamen delinquunt, quàm si cum dæmone more humanô ac naturali commiscerentur. *Delr. disq. Mag. L. 2. quæst.* 15.

Fit etiam modo præposterô.

De hoc modo inquirendum judici est.

Autores statuentes partum humanum excoitu nasci dæmoniacô.

§. V. Existimant haut levis notæ eruditionis Viri, Satanicæ hujus sodomiæ dari *effectum per semen* talem, ut proles exinde quandoque nasci queat. Uti hanc opinionem masculè propugnant *Paul. Ghirl. de Sortil. q. 7. n. 12. Bodin. de Maj. dæmon. L. 2. cap. 7. Mart. Delr. disqui. Maj. duct. lib. 2. q.* 15 dicentes, diabolum in coitu generare ex spermate alienô seu alicujus Viri in somniis polluti, aut in vigiliâ, quotiescunque dæmon in formâ succubi, i. e. muli-

eris,

eris, se virîs subjiciens, sperma illorum excipit, & quantò citius velocissimè in formam incubi seu viri, se iterum transformans, ad sagas accedit, dictumque sperma locis naturæ congruis applicat, ut exinde sequatur prægnantia mulieris, & infantis generatio, non secus ac si mulier cum naturali viro coitum habuisset. Infantem tamen, si quis oriatur, non dicendum esse filium dæmonis, sed illius cujus erat sperma. Verùm Nos huic singulari opinioni summæ auctoritatis Virorum, palpum obtrudere salvâ veritatis luce non possumus. Cùm semen à diabolô acceptum extra naturalia sua receptacula vim vitalem retinere non possit, nec semen prolificum à dæmone tantâ celeritate perferri queat, ne id in viâ spiritum, Vitalem calorem & virtutem πλαστικὴν, sine quibus tamen nulla procreandi facultas est, amittat; Et licet vel maximè eo momentô, quô mulier ad concipiendum optimè est disposita, illud muliebri semini commisceat, nulla tamen gignendi causa esse potest. *Petr. Theod. in Coll. Cr. D. 7. §. 3. lit. N. in fin.* Nam communiter fatentur Lamiæ, semen à diabolo immissum glacie quâvis frigidius esse, adeò, ut sæpe toti corpori horror ingruat. Quid? quod, si reverâ contigeret à dæmone generatio, par certè esset credere, in tot variis rerum successibus sagam designatam, notatam, proprioque nomine demonstratam inventamque fuisse, cui imprægnatio contigisset absque humano congressu, solô dæmonis obscænô tremendôque complexu interveniente. Jam verò partum talem nullus unquam vidit, nec sagam reverâ à diabolo imprægnatam, licet longâ experientiâ, observavit nemo. Nec nobis obstat, sagas nonnunquam à diabolis incubis interrogari, an gravidæ ex ipso velint effici? Cujus rei exemplum refert Bodinus de *Mag. dæmonom. Lib. 2. c. 7.* Ex tali enim interrogatione non potest inferri; Interrogat dæmon; Ergo potest reverâ generare. Quoniam naturis planè incompatibilibus talis copula intercedere nequit, ex quâ perfectum aliquod & completum ens oriatur. Consequens proinde est, dæmonem sagas reverâ non imprægnare, ex quo partus aliquis prodire possit: Sed uterum tantum sagarum tumoribus implet dæmon, ut nihil aliud credant, quàm sese imprægnatas esse; Ubi verò tempus partui edendo appropinquat; *Aut* dæmon obste-

Nostra sententia.

Semen furtivum non habet vim πλαστικὴν.

Semen est frigidum.

Nullum exemplum sagæ à diabolô imprægnatæ dari potest.

Dæmon sagas de imprægnatiâ interrogat

Sed aut uterũ tantùm sagis implet tumoribus.

aut se ipsum in formâ infantis supponit.

obstetricis munia obiens, infantulos aliis surripit, & laboranti-bus subjicit. Quod etiam B. Lutherus *aliquot in locis* confirmat, dum scribit: Potest esse, ut diabolus rem habeat cum lamiis & sagis, sed quod ex illô congressu liberi procreentur, hoc nihil est. *Et alibi*; In seinen Tischreden Tit. Von Teuffel und seinen Wer-cken, ubi inter alia de generatione discurrit: Unser HErr Gott gebraucht zur Schöpffung andere Menschen als ein Mittel, und durch dieselben wircket er alleine, und nicht durch den Teuffel, dar-umb, so müssens gestohlene Kinder seyn, wie denn der Teuffel wohl Kinder stehlen kan, wie man bißweilen Kinder in Sechswochen verleuret, oder müssen supposititii seyn, Wechsel-Kinder, die die Sachsen nennen Kielkröpffe, &c. *Aut* etiam diabolus se ipsum in formâ infantum, (*referente Bodino ex Spreng.*) qui cum nutricibus magis congrediuntur, & plerumque in incertum abeunt, supponit vel ipsis sagis, vel Parentibus, quibus infantulos surripuit, quos vulgus vocat *Cambiones* Wechsel-Kinder, quique, ut habet Spren-ger, aliis longè graviores sunt, macri, & qui ne tribus quidem aut quatuor nutricum rumis exsuctis pinguescunt, & tandem post aliquot annos evanescunt. Quod minime fieret, si ex se-mine humanô essent nati isti infantes, ac non ipse dæmon, se in specie puerorum parentibus substravisset. Nota procul dubiô erit omnibus Historia, quam narrat Delr. *Disq. Mag. L. 2. quæst. 5. de puerô quem per Galliciam & Austrias Hispaniæ ante annos 15. Mendicus quidam summâ cum defatigatione humeris bajulabat; Cum quidam à Delrionis comitibus, eum in itinere repertum prope flumen, ut transvadaret, misericordiâ motus retrò se in jumentum su-stulisset, vix valida bestia eum potuit in alteram ripam exponere. Paulò post mendicus comprehensus fassus est, eum puerum non puerum, sed diabolum fuisse, qui sibi promisisset, omnes se ad eleemosynas ei con-ferendas pellecturum, quamdiu sic circumferretur habitu morbosi pueri & fasciis involuti.* Cur non eôdem modô diabolus Lamias suas, aut alios in formâ infantili decipere potest.

Die Wechsel-Kinder non possunt saturari, & evanescunt.

Historia de mendicô diabolum informâ infantis circumferente.

Nostra conclusio.

Ex quibus omnibus quidem concludimus cum incompara-bilibus Viris Theologis & JCtis qui à nostris stant partibus *Div. Aug. L. 15. de Civ. Dei c. 15. Damasc. Lib. 2. de fide c. 3. B. Luther. ad cap. 6. Gen. Ulric. Molitor. de Lam. & Pyth. mul. c. 10. p. 86. Remig. l. dæmo-*

Demonol. 6. Rex Angl. Jac. 3. Demon. p. 159. Phil. Ludov. Elich. in demonom. c. 9. Petr. Gregorian Syntag. J. Univ. Lib. 34. c. 20. n. 26. Ambroſ. Pareus L. 24. c. 16. Alph. à Caranza de partu legit. c. 20. n. 98. ex concubitu dæmonis cum ſagis non poſſe ſobolem legitimam edi quôcunque etiam ſpermate viri adhibitô: Non tamen prorſus excludimus, poſſe ex diaboli concubitu effectum aliquem ſequi, & produci partum non humanam formam referentem, ſed buſonibus, vermibus & erucis ſimilem, quas, Elben oder böſe Dinger vocant, quas diabolus laborantibus vel ſubſternit, vel locis muliebribus immittit, quasque poſtmodum ad nocendum hominibus reſervant & adhibent immiſſis eis per faſcinationem in crura, brachia aliave inimicorum membra. Quod confirmat *Dominus Carpz. in Pr. Cr. P. 1. Q. 49. n. 39. & Quæſt. 50. n. 66.* benè multis ſagarum confeſſionibus. Ubi in ſententiis Lipſ. XXI. habentur hæc verba: Wann ſie mit ihren Buhlen zuſchaffen gehabt/hätte ſie weiſſe Elben/ und derſelben allezeit zehen bekommen/ſo gelebet/ſpitzige Schnäbel und ſchwartze Köpfe gehabt/und wie die jungen Raupen hin und wieder gekrochen/welche ſie zur Zauberung gebracht/ihr Buhle/ auch ehe ſie gebuhlet/etliche gebracht. Sent. XXIII. Darauff ſie nach verrichteten Werck alle viertel Jahr ein par Elben gezeuget/welche eines fingers lang geweſen/und gantz bundſtrieffigt ausgeſehen/wie die Raupen Sent. XXIV. ſie hätte mit ihren Buhlen böſe Dinger oder Elben erzeuget/die ſie in ein Töpflein geſetzet/und ihnen Brod zu eſſen gegeben/theils auch ins Waſſer geworffen Sent. XXVI. Nach ſolcher Vermiſchung weren die Elben von ihr kommen/ſo wie ſchwartze und graue Fliegen ausgeſehen. Sent. XXIX. Sie hätte zwey Kinder von ihm gezeuget/welche wie der böſe Volant Geſtalt geweſen/dieſelben hätte ſie auf einmahl zur Welt gebracht/wäre aber kein Leben oder Menſchliche Geſtalt an ihnen zu ſpüren geweſen/derowegen ſie dieſelben ins Waſſer geworffen. Et Sent. XXXV. Und habe von ihm fünff Par böſer Dinger gezeuget und gebohren/wären wie weiſſe Würmer geweſen/und hätten ſchwartze Köpfe gehabt/die habe ſie der Hirtiſchen Margarethen in das lincke Bein gebracht und gezaubert durch nachfolgenden Spruch. quam omitto.

Ex concubitu ſatanæ proveniunt vermes.

Confeſſiones de concubitu ſagarum ex Carpz.

§. XI. Ex hactenus per aliquot quæſtiones explanata Definitione ſatis, ut puto, eluceſcet, quid de lamiarum pactis, tempeſtati-

Concluſio totius capitis tertii.

statibus, morbis ab iis motis & excitatis, ad conventus translationibus, & actu venereô cum diabolo sit sentiendum. Quod si autem tuo B. L. in iis excutiendis desiderio minus satis fecerim, artesque diabolicas uti decet, non omnes aperuerim, ut eò facilius animum tum ad cavendum, tum ad judicandum attendere posses. Scias velim me, cùm maligni Spiritus novas artes, nova scelera comminiscantur momentis singulis, ac nomina mille, mille nocendi artes habeant; haut potuisse vel centesimam impietatum partem annotare, aut potius, si scirem, noluisse exponere propter metum, ne parum pii venenum, exsugant, undè antidotum haurire debuisent: Sed aliquid solùm de iis decerpsisse, quod aut in scriptis Authorum ligi aut ex Criminalistis, qui de sagis quæstionem sæpe habuerunt, cognovi. Nunc ad Processum.

CAPUT IV.
discutiens.
Processum Contra Lamias in genere.

§. I.

CUm in superiori capite lamiarum essentiam ad satietatem usque exposuerimus, nihil amplius nobis sufflamen injicere potest, quò minus inoffensô pede ad Processum Judiciarium in hoc veneficii crimine servandum progrediamur.

§. II. In processu hoc criminali instituendô non ubique & in solidum Judex adstringitur ad communem ordinem publicorum Judiciorum legibus communibus præscriptum, nec ad communem aliorum Criminum praxin undiquaque observandam obligatur, multò minus arctatur ad priscas solennitates & ordinem publicorum Judiciorum antiquum, quem exolevisse scribit Paulus JCtus. *l. 8. ff. de Publ. Jud. l. 16. C. de Poen.* Idque ob varias quas afferunt DD. rationes: *Partim* quia hoc veneficii crimen inter extraordinaria & excepta refertur, quæ sub generali legis dispositione non continentur, sed semper excepta censentur, qualia sunt illa, quæ directè vergunt in corporale vel spirituale damnum publicum, ut sunt

Judex in crimine veneficii non alligatur ad communem Judiciorum ordinem, quia est exceptum.

sunt crimen Læs. Majest. Conjuratio, Hæresis, Veneficium, & cætera, quæ refert & recenset Prosp. Farinac. *in prax. Crim. L. 1. T. 3. quæst. 18. n. 60. Partim* propter enormitatem & atrocitatem hujus criminis, quod suâ naturâ admodùm est contagiosum, ita ut instar hæresis & velut cancer subrepat, semperq; plures in societatem pertrahere moliatur, insuperq; clam proditoriè in locis solitariis & plerumque noctornò tempore absque omni teste perpetrari soleat *Mart. Del Rio. Disquis. Mag. L. 5. Sect. 1. p. m. 695.* Propter enormitatem autem delictorum licitum est jura transgredi. Prouti regulam tradit Insignis Criminalista *in Pract. suâ Crim.* Hippol. de Marsiliis §. *diligenter n.* 159. ubi allegat Innocent. Bald. & alios legum Interpretes, & subdit *n.* 165. propter enormitatem delicti posse procedi contra Reum de factô, ordine juris non servatô, quod & affirmat Paris de Puteô *tract. de Syndic.* qui in crimine Assassinatus propter enormitatem delicti non requiri dicit plenam probationem, sed sufficere probabilia argumenta. Ex quô quidem tantùm abest, ut sic colligendi cuiquam suasor exiterim, quasi consimilem in modum, non plena probatio in convincendis & damnandis lamiis, sed saltim probabilia argumenta & indicia requirantur; Ut potiùs jusserim, Judici non esse temerè procedendum ad condemnationem lamiarum, nisi indiciis & probationibus luce meridianâ clarioribus, quas exigit *l. 25. C. de probat.* gravatæ & convictæ sint Reæ, cùm de vitâ, existimatione & sanguine hominis, quibus rebus in orbe nihil pretiosius est, agatur. Interim tamen, cùm talibus indiciis & probationibus, quales crimina non excepta, & quæ veniunt in generali dispotione legis, expetunt, in hoc crimine, quia secretò nocturnô tempore & remotis testibus committitur, Judex destituatur, potest in subsidium etiam iis probationibus ad convincendas Reas uti, quales haberi possunt, licet in aliis criminibus non admittantur. Quales sunt (1.) Quod socium de sociô in hoc crimine contra *leg. fin. C. de Accusat.* interrogare queat. (2.) Quod infames, quales sunt omnes complices adversus horum criminum reos reasve in testes contra *l. 8. ff. de Accusat.* admittantur, & alia.

Crimina excepta quænã? Quia est enorme & atrox.

In Crim. Assassinatus non plena requiritur probatio.

Judex in condemnandis lamiis iis utatur probationib. quæ haberi possunt.

§. III. Quod

Judex in hoc crimine non pro lubitu agere debet,

§. III. Quod diximus Judicem non adstringi ad communem Judiciorum publicorum ordinem: Non sic intelligi volumus, quasi Judex in hôc crimine procedere possit, quô sibi modô procedendum putat, quod vult Delrio *in Disquisition. Magic. Append. 2. quæst. 1. §. quartus aries negativ. sent. in fin.* Siquidem hoc pactô Judex facile ab ignorantiâ, quæ calamitas & interitus innocentium sæpè est *Godelm. d. tr. L. 3. c. 2. n. 2.* injuriâ & præcipitantiâ contra *l. 1. C. de Execut. rei Jud.* præcipitata etenim Judicis voluntas est noverca justitiæ *Hipp. de Marsi. Pr. Cr. §. occurrunt. n. 2.* victus, ab odiô & favore accusatoris, vel etiam invidiâ Rei in transversum raptus syndicatui subjaceret. Sed quod Judex non servatô Juris ordine nihilominus in criminibus his legitimè indagandis, eum Judicii ordinem ac processum sequi debeat, qui rationi & æquitati naturali consentaneus est, quemque in criminibus privilegiatis seu exceptis, tum jura communia, tum particularia statuta locorum, si quæ de his extant, præscribunt, quem si turbaret aut negligeret Judex, ejus judicialia acta nulla forent. *l. 16. C. de Pœn.* vid. ulterius *Delr. L. 5. sect. 1. Binsfeld. de confes. Malef. cancl. 6. Bodin. L. 4. c. 3. Herm. Gœhausi. quæst. 16. Godelm. de Mag. & Venific. L. 3. c. 1.* ubi contrariæ opinioni est addictus.

sed eum sequatur Judicii ordinem, qui æquitati naturali est consentaneus.

CAPUT V.

Ostendens

Modum Procedendi contra Lamias per viam accusationis.

§. I.

QUemadmodum duobus modis proceditur in aliis causis criminalibus, unô per viam accusationis, alterô per viam inquisitionis: *Damhoud. in Pr. Cr. c. 5. n. 1. Matth. VVesenb. in Par. ff. de Accus. n. 2. Hahnius in Not. ad Eund. d. Tit. p. m 493. Prosp. Farin. in Prax. Cr. L. 2. Petr. Theodor. in Coll. Cr. D. 4. th. 1.* Ita & eôdem modô potest in crimine veneficii procedi per viam accusationis *Godelm. de Mag. Lib. 3. c. 2. n. 1.* Est autem accusatio in hoc crimine nihil aliud, quam ejus apud judi-

Accusatio veneficii quid?

cem

cem competentem delatio ad vindictam publicam ſolenniter facta. *Godelm. dict. loc.*

§. II. Et ut perſonarum prius habeamus rationem, ſciendum, accuſationem hanc inſtituere poſſe quemlibet è Populô, modò juſtam accuſandi habeat cauſam, etiam eum, qui aliàs in aliis criminibus à limine judicii & ab accuſationibus arcetur, licet non proſequatur ſuam ſuorumq; injuriam. Nam OB SEXUM mulier licet publicorum munerum & judiciorum non ſit particeps *l. 2. ff. de R. J.* à criminum atrociorum, qualia ſunt: Læſ. Majeſtatis, *l. 8. C. ad L. Jul. Maj. c. fin. quæſt.* 1. Hæreſeos *l. Manich. C. de hæret. & Manich. & cap. vergentis* X. *Eod.* & alia, ſub quorum complexu omninò continetur crimen lamiarum à delatione non prohibetur. OB ÆTATEM, ſive pubes ſive impubes accuſator ſit, in criminibus exceptis, quale & hoc eſt, ab accuſandô minime repellitur Proſp. Farin. L. 1. T. 2. quæſt. 12. n. 15. OB INFAMIAM, ſive Juris ſive facti eâ laborantes ab accuſandô non arcentur *per l. famoſi. 7. ff. ad L. Jul. Maj.* ibique Bart. Gilhauſ. Arb. Cr. cap. 3. part. 2. n. 6. Quò etiam refero certô modô excommunicatos excommunicatione majori, licet illi actores eſſe non poſſint, nec eis poſſit jus dici, & videatur illos excludere Clarus *quæſt. 14. n. 16, & Farin. d. q. 12. n. 32.* Verius tamen eſt, eos non excludi in hoc crimine, ſicut nec in hæreſi, ut fatetur ipſa Farin. *d. quæſt. n. 56. Delr. d. tr. L. 5. Sect. 6. p. m. 731.* OB CAUSAM REVERENTIÆ Filius Patrem, filia matrem, alumnus educatorem & viceversà, Vaſallus dominum, Conjux Conjugem, frater fratrem, ſoror ſororem, accuſare poteſt, per *cap. literas X. de præſumtionib.* Et hoc etiam ſic practicari multis probat exempl. *Paul. Ghirl. in tr. de Sortileg. & Joh. Jac. Speidel. in ſpecul. Jurid. voc. Hexen in addit.* 1. ubi eleganter in hanc rem dicit: Daß auch Eltern ihre Kinder und Kinder ihre Eltern/ wann ſie dieſelben mit der Hexerey verhafftet wiſſen/ ſub peccatô zu denunciren und anzugeben ſchuldig. Rationes *ex Binsfeld. de confeſ. Maleſ. quæſt.* 1. *verſ. difficulter hic moveri &c.* affert duas, quarum *prior*: Quia etſi pater filium aut mater filiam vel è conversô, quantum ad vitam amare teneatur; Plus tamen ſecundum ordinem charitatis animæ ſaluti, & ut ad ſanam reducatur viam conſulere tenetur.

Ad accuſationem hujus crim. admittitur quilibet è populô, etiam obſexum Mulieres.

ob ætatem Puberes & impuberes.

ob infamiam Infames.

Excommunicati.

ob reverentiã Liberi Parentes & viceversà.

Parentes liberos & viceversà, ſub peccato denunciare debent.

Ratio prior, eſt ſaltus animæ.

posterior, est bonum publicum.

Posterior est, quod bonum commune Reip. privato præferri debeat. *auth. sed hodie C. de donat. inter vir. & ux. Const. Crim. art.* 135.

ob Inimicitias inimicus.

OB INIMICITIAS, Inimicus, etiam capitalis, ad accusandum in hoc crimine hæreseos inimicum admittitur, licet in aliis criminibus ne quidem ad testimonium admittatur, *l. 3. & ib. DD. com. ff. de Testib.*, cùm propter odium, quod habet adversus accusatum, lex eum mentiri præsumat; Imò & in Crimine

In Crim: Læsæ Maj. inimicus non admittitur ad accusandum.

Læs. Maj. quod per se est atrocissimum, inimicus excludatur ab accusatione. *Bald. in l. 8. ff. ad L. Jul. Maj. Ludov. Gilhaus. A. Cr. cap. 3. p. 2. n. 6. in fin. p. m.* 242. *Prosp. Farin. Q.* 12. *n.* 39.

Ratio singularitatis in Crim. veneficæ.

Rationem autem, cur peculiare quid crimen hoc hæresis, à Læsæ Maj. crimine obtineat, reddit elegantem *Joh. Nic. Arclatan. in tr. de hæret. notab.* 10. *n.* 2. Quia in hôc crimine tunc quilibet suam suorumque injuriam persequitur, cùm ea, quæ commituntur in religionem divinam, omnium injuriam respiciant. *l. manichæos C. de hæret.*

§. III. Forma processus in hoc Crimine nihil singulare præ aliis obtinet, adeòque iisdem requisitis gaudet. Accusator enim

Forma accusationis consistit in libello articulato.

ad accusationem magiæ procedens, tenetur crimen cum indiciis, argumentis & circumstantiis suspicionis Judici libellô accusatorio oblato exponere, antequam reus custodiatur, prouti cavet *Const. Car. V. art* 11. In forô Saxonicô, ab accusatore, in eventum inficiationis, ex factô ipso certa quædam indicia simul in conclusione libelli articulatè atque ordine annotari solent, quibus Reus maximè gravatur, hunc in finem, ut si non confiteatur crimen, saltem super indiciis illis posteà torturæ subjici queat.

Indiciorum in libello mentio fieri debet.

Ang. Aretin. in tr. de Malef. n. 108. *& seq.* Aliòquin non expressis indiciis, si ad pœnam ordinariam simpliciter agat accusator, Reo fortassis delictum inficiante, in probatione illius deficiat, frustrà eum damnari postulet, torturæ petitione deinceps ei præclusâ. *Carpz. Prax. Cr. P. 3. Q.* 106. *n.* 20.

Accusator & Rea cautionē præstare debent.

§. IV. Accusatione debitô modô institutâ, utriq; & Reo & accusatori incumbit, satisdationem seu cautionem in judiciô præstare Reæ quidem in hoc crimine in eum saltem casum, quo non

Reæ rarò sub cautione dimittuntur.

in carceres sunt raptæ: Si enim in carcere jam sunt Veneficæ, non facilè sub cautione dimittuntur, sicut sæpissimè observasse dicit.

Magnif.

Magnif. atque Excellentiſſimus Dominus Joh. Volck. Bechman. hujꝰ Salanæ p.t. Rector Magnificus Patronus ac Præceptor meus æternùm colendus in Com. ſuo ad ff. Tit. de Cuſtodia & Exhib. reor. Obſ. pract. 13. Accuſatores autem, abolitâ licet talionis pœna & ſolennitate inſcriptionis ad intentatam in caſum ſuccumbentiæ pœnam fuſtinendam *Bart. in l. 6. & 7. ff. de Accuſat. VVeſenb. in par. ad T. de Accuſ. n.* 12. *ibiq; Dn. Hahnius in Not.* idque eâ potiſſimùm ratione, ne metu propriæ ſalutis quis ab accuſatione deſiſtat, & ſic ſceleratiſſimi quique impuniti relinquantur, *Gail. de Pac. publ. L.* 1. *c.* 9. *n.* 3. *p. m.* 39. nihilominus de Jure Carolinô *art.* 12. *in verb.* ſo bald der Angeklagte &c. aut eorum mandatarii ſeu procuratores cuſtodiæ dari tam diu debent, donec caveant de expenſis & damnis in caſum ſuccumbentiæ, ut ajunt, item ratione injuriarum & intereſſe, zu Abſtattung der Koſten / auch Abtrag wegen zugefügter Schmach und Schande *Hahn. ad Par. VVeſenb. T. ff. de Accuſ. n.* 12. *p. m.* 494. Jure Saxon. ſanctio hæc Carolina, quoad perſonam Accuſatoris cuſtodiæ tradendam, non obſervatur, ſed cautio pecuniaria, prout ſummam definiverit Judex rationem perſonarum & qualitatem delicti accuſari expendens, de ſumptibus litis & injuriæ illatæ ſatisfactione, perinde ac in civilibus cauſis imponitur. A quâ tamen liber eſt, qui poſſidet immobilia. *Conſt. Elect.* 5. *VVeſenb. in Par. ff. de Accuſ. n.* 12. *in med. p. m.* 492. Quod ſi verò accuſator bonis immobilibus deſtitutus idoneè cavere & fidejuſſores invenire nequeat, ad cautionem juratoriam nihilominus admittitur *Carpz. Pr. Cr. P.* 3. *Q.* 106. *n.* 49. ubi allegat Chil. Königs / qui dicit ſecundum hanc ſententiam Scabb. Reſpondere ſolere.

Accuſator de Jure Carolinô cuſtodiæ datur.

de Jure Saxon. Cautio pecuniaria de ſumtib. litis in uſu eſt. A cautione liber eſt poſſidens immobilia bona.

Si non poſſidet, ad cautionem juratoriam admittitur.

§. V. Accuſatione cum ſatisdatione inſtitutâ, Reus vel Rea hujus criminis tenetur reſpondere ad libellum accuſatorium, & litem conteſtari, vel affirmativè vel negativè, categoricè, expresè & rotundè ad ſingula accuſationis membra. Quod ſi tergiverſatur & litem conteſtari recuſat Reus vel rea præſens in judiciô, tunc denuò litis conteſtationem ipſi imponunt Judices ſeu Scabini additâ clauſulâ comminatoriâ: quod, ſi in contumaciâ non reſpondendi perſeveraverit, pro confeſsô & convictô haberi debeat. Quæ clauſula non hoc operatur, ut Reus vel rea pro convictâ habita

Litis conteſtatio.

Comminatio additur ſi litem conteſt. recuſat rea.

Operatio clauſulæ comminatoriæ.

habita condemnetur. Nam in Criminalibus ex præſumtâ & fictâ confeſſione Reus ad mortem non eſt condemnandus. *l. fin. C. de probat. l. 5. ff. de Pœn. c. literas X. de præſumtion. VVeſenb. in Par. ff. de Accuſ. n. 12. p. m. 492.* Sed quod ex præſumtâ hâc confeſſione reus pro confeſsô habitus torturæ ad eruendam veritatem ſubjici poſſit. *Carpz. Pr. Cr. P. 3. Q. 106. n. 74.* Lite purè negativè, ut communiter in hoc crimine fieri conſuevit, conteſtatâ, Accuſatori probatio incumbit, quam per contrariam probationem accuſatæ poſſunt elidere, etiam poſt concluſionem in causâ, atque adeò poſt ipſam ſententiam defenſionis deductio recipitur propter favorem innocentiæ *l. 1. §. ult. l. 18. §. 9. ff. de Quæſtion. VVeſenb. parat. ff. T. de quæſt. & Hipp. de Mars. pract. crim. §. ſequens n. 2. & 8. p. m. 476.* & Alii *quam plurim. Carpz. d. loc.*

Probationes Accuſatoris.

Reprobationes Reæ.

§. VI. Cùm ſæpè Lamiæ reæ rudes & imperitæ juris exiſtant, nec eâ facundiâ polleant, quâ innocentiam ſuam commodè Judicibus exponere valeant, non abs re quæritur: An iis in hoc atroci veneficii crimine, cùm aliàs utiliter nihil in Judiciis civilibus absque Curatore agere queant, procurator ſit concedendus? Reſp. Quod mulier in causâ civili rea perſonam in judiciô ſtandi absque curatore non habeat, *per Conſt. Elect. 15. part.* id in Criminalibus minimè procedit. In quibus mulieris Curator vel defenſor non admittitur, ſed ipſamet perſonaliter comparere, ad articulos reſpondere & in proceſſu ordinariô litem conteſtari tenetur. Idque propter generalitatem textus *in l. pen. §. 1. ff. de Publ. Jud.* ubi indifferenter defenſor accuſati, ſive viri ſive mulieris procurator fuerit, repellitur: Tum etiam propter prohibitionis rationem, quæ in mulieris accuſatæ procuratore æque ac Viri obtinet: Scil. quod in caput accuſatæ mulieris ſententia ferenda ſit, ne judicium reddatur eluſorium *l. 2. C. de Cuſt. Reor. l. 2. C. de Exhibend. Reis*; Tum, ut cò facilius Judex veritatem criminis admiſſi indagare valeat, ex ipsô nempe vultu, variatione mulieris, mutatione coloris, trepidatione, aliisque ſignis. *Carpz. Prax. Cr. P. 3. Q. 105. n. 62.* Sunt tamen in criminalibus certi caſus, in quibus procurator admittitur (1.) Si interveniat ad cauſas abſentiæ allegandas. (2) Ad exceptiones dilatorias & declinatorias ante litis conteſtationem opponendas. (3)

Q. An Lamiis procurator ſit concedendus.

Ipſamet lamia tenetur reſpondere ad Artic. non per procuratorẽ.

Si

Si Reus vel Rea in judiciô præsens sit & comparent, tunc ei procurator seu defensor rectè attribui potest. Idem etiam procul dubiô concedendum est mulieribus ob magiæ crimen incarceratis, quoniam defensio juris naturæ est, quæ nulli adimenda, ut Advocatus iis non denegetur, non quidem, ut per eum ad accusationem, inquisitionem & articulos super delictô formatos respondeant, quod ipsæmet è vinculis eductæ in propriâ personâ facere & peragere debent remotô Advocatô: Sed ut aliis causæ actibus interveniat, nempe ut responsionem jam factam, formaliter in scriptis proponat, exceptiones opponat, producat capitula, Ream instruat, defendat eandemque consiliô juvet *Carpz. Pr. Cr. P. 3. Q. 105. n. 72.* Ne autem Advocatus forsan officii & probitatis immemor, ream ad negandum delictum & veritatem celandam instiget, subornet, aut aliô modô tricetur, maturè huic malo occurrat Judex, nec unquam, si in Advocatum eusmodi suspitio cadat, ei, ream conveniendi solitariè, copiam concedat, sed vel se præsente, vel fiscali aut Notario id permittat. Juxta Const. Carolinam *art.* 88. poterit cogere Advocatum suspectum, ut sub juramentô promittat, se Ream ad negandum delictum non instigaturum, aut aliis defensionibus non usurum, nisi justis, & cum viderit, Ream esse criminosam, se cessaturum à defensione. *Farin. Q. 39. n. 14. & 70. Delr. disquis. Mag. L. 4. Append. 2. Quæst. 38. Gœhaus. in proces. contra Sag. T. 3. in add. ad. F. in f.*

Lamiis Advocatus denegari non potest.

Officium advocati in defendendis lamiis.

Advocatus de subornatione suspectus jurare debet.

CAPUT VI.
monstrans
Modum procedendi contra Lamias per viam inquisitionis.

§. I.

Licet modus, in delicta inquirendi superiori capite, expositus, in desuetudinem nondum abierit, nec ab Aulâ, ut DD. loquuntur, recesserit. Inquisitio tamen in locum cusationis surrogata est: *l. pen. ff. de publ. Jud. l. congruit 13. ff.*

Inquisitio in locum accusationis est surrogata.

de off. præsid. Gilhaus. Ar. Cr. c. 3. p. 1. n. 19. p. m. 226. Prosp. Farin. Pr. Cr. Q. 1. n. 15. Petr. Theodor. in Coll. Cr. D. 4. b. 9. lit. H. Et processus inquisitorius in forô hodiè maximoperè probatur, utpote qui summariè sublato, quod dicitur, velô, absque multis ambagibus & circuitionibus, quibus sæpenumerò pœnæ delictorum procrastinantur & negliguntur, expediri solet, *teste. Carpz. in Pr. Cr. P. 3. Q.* 139. Nam Accusatore non extante, vel extante quidem, sed *aut* ordinariô processu adversus delinquentem supersedere vult, delictum Magistratui defert, officiumque ejus implorat, ut per modum inquisitionis adversus Reum procedatur, eique pœna promerita infligatur. *Aut* si accusator ab initiô quidem accusationem instituerit, eandem tamen non prosequatur, sed à processu desistat, eumque intermittat. *Matth. Coler. in proc. exec. p. 2. c. 3. n.* 104. Tunc Judex competens. *l.* 1. *tot. T. C. si non à comp. Jud. l.* 16. *ub. de crim. ag. oport.* qui legitimam potestatem seu merum imperium habet, absque quô inquirendi potestatem nullam habet. *Bart. in l.* 28. *ff. ad Municipal. Farin. Pr. Cr. Q.* 1. *n.* 59. ne delicta maneant impunita, quia emendationis delicti finis ultimus est salus publica *l. ita vulnerat* 51. §. 2. *vers. quod si quis ff. ad L. Aquil.* quò alii exemplo aliorum deterriti minus delinquant, *l. si quis.* 6. §. 1. *l.* 28. §. 15. *de pœn. l.* 31. *ff. depositi.* ex debito officii sui in Maleficos maleficasque inquirere tenetur, ne videatur cum ipsis colludere, & eorum facta criminosa ut conscius tegere *l.* 2. *C. d. Comerc. & Mercat.* Nec Judices exemplum Christi, adulteram mulierem non accusatam absq; accusatione condemnare nolentis, *Joh.* 8. *v.* 11. ab inquirendo, in tales veneficas deficiente Accusatore absterrere debet; Quippe verba Salvatoris: *non ego te condemno*, de absolutione duntaxat à reatu spirituali, non etiam à pœnâ politica accipi debent. Si enim Judex in hoc crimine accusatores expectare vellet, rarò aut nunquam hoc grande scelus vindicaretur, cùm accusatores rarò inveniantur horum criminum, propterea, quod ibi homines plus a Magis, quam a Deo & Magistratu metuentes, neque deferre neque accusare illos audent. *Bodin. de Mag. demon. Lib. 4. cap.* 1. *p. m.* 321.

Judex ex officiô in Maleficos inquirere debet.

Judices ab inquisitione Sagarum se absterreri nõ patiantur.

Accusatores veneficarum sunt rari.

Inquisitio quid?

§. II. Est autem inquisitio delicti informatio Judicis officiô & au-

& auctoritate facta *Pr. Farin. Pr. Cr. Q.* 1. *n.* 3. *Jod. Damhaud. in rer. cr. prax. c.* 8. Estque vel Generalis vel Specialis. Generalis est, quando Judex in genere quærit, quis sit delicti auctor & socius *c. sicut olim* 28. *X. de Accusat. l.* 13. *in pr. de Off. Præs.* Specialis, quæ fit per Judicem contra particularem personam, de cujus delictô jam curia notitiam habuit *cap. inquisitionis* 21. §. *ad hæc cap. qualiter & quando X. de Accusat. l.* 2. §. 6. *ff. ad L. Jul. de Adult.* ibiq; *DD. passim.* Et hâc speciali utimur inquisitione tantummodò, in forô præprimis Saxon. in delicta manifesta, majora, scandalosa & reip. tranquilitatem offendentia. *Carpz. pr. Cr.* P. 3. Q. 107. 22. Inter quæ omnium DD. suffragiô numeratur crimen nostrum Lamiarum.

Est vel generalis, vel Specialis.

§. III. Antequàm Judex specialem hanc inquisitionem & captura contra Lamias instituat, necesse est, ut præcedant quædam legitima indicia ad hoc crimen sufficientia. Cùm non levis irrogetur injuria, homini non infamato, si contrâ eum specialiter inquiratur. *cap. qualiter & quando. X. de Accusat.* Nec potest Judex temerariô ausu & motu propriô quibusvis improbis delatoribus aures credulas locando ad inquisitionem, per quam sæpe honestarum piarum & innocentum matronarum familia splendor & dignitas maximoperè læditur, prorumpere. Quem in finem saluberrimus in forô Saxon. mos obtinet, ut antequam procedant ad inquisitionem Judices, soleant non propriâ auctoritate ad inquisitionem devenire, sed regulariter consulant Scabinatus, missis simul indiciis, an justam inquirendi causam habeant nec ne. *Magnificus Dn. D. Bechman. in Com. suo ad ff. Tit. de Accusation. & inscript. Obs. pract. n.* 12. indicia autem quæ in hoc crimine inquisitioni futuræ viam sternunt, solent plerumque esse hæc:

Judex ad specialem Inquis. non temerè procedat.

Consulat prius Scabinatum.

Indicia ad inquisitionem sunt

§. IV. (1) *Diffamatio* personæ, seu famâ publica (ein böses Gerücht) quæ in locum accusatoris succedit, quæque in nostro crimine, licet DD. inter se digladientur, an semper necessaria sit, everâ adesse debet; nisi ejus locum impleant indicia, aliæque præsumtiones violentæ. Quô casu nulla injuria fit inquisito, si secretò de indiciis illis & præsumtionibus cautè inquiratur, etiamnulla præcesserit fama mala. Non tamen quamlibet famam levem,

(1.) *Diffamatio.*

legem, vagam, variam decreſcentem aut contrariam in hoc crimine inquirendô Judex attendere debet, ſed eam tantummodò quæ eſt vehemens, conſtans, creſcens & â clamosâ inſinuatione populi procedens (ein offentliches Geſchrey oder Berichtigung des gemeinen Pöffels) *cap. inquiſitionis c. qualiter & quando. X. de Accuſ.* ſæpies ad aures Judicis devenit, & talis, quæ ſcandalum generaret, niſi Judex inquireret, *Pr. Farin. Q. 9. 2. 5.* quæve ortum habet, non quidem à malevolis & maledicis, ſed providis & honeſtis hominibus, uti eleganter Pontifex *in dict. cap. qualiter & quando in pr. Conſt. Car. V. art. 22.* Nihil autem intereſt in hoc crimine ſortilegii à quô fama orginem trahat, a Virô, an â Fœminâ, licet majorem fidem mereatur fama Virorum, tamen, quando factum aut crimen amplius vel æquè fœminas tangit; v. g. de maleficio abortus, vel ſterilitatis, vel infanticidii & ſimilibus ſtrigarum delictis poteſt fama originem ducere a fœminis æque ac viris, cùm hoc de crimine melius vel æque perſpectum ſit fœminis, ac teſte experientiâ plures fœminæ, quam viri cum diabolo paciſcantur ac maleficia diſcant, cujus rei rationem reddidi ſupra *c. 3. q. 1.* Adhæc non ſufficit famam malam eſſe, debet etiam illa legitimè probari, ne videatur Judex proprium auditum in inquiſitione allegare. Probatur vero fama per teſtes ad minimum duos, nec ſufficit unus omni exceptione major, qui ſolummodo de veneficio deponens dirigit Judicem in viam perſcrutationis ad indagandum an nominatus ſit reus delicti, ſeu uti Criminaliſtæ loqui amant, ad aſſumendas ſuper delicto informationes, non autem ad ſolennem ſpecialem inquiſitionm reo transmittendam. Qui duo teſtes debent eſſe ſpectatæ ac integræ, optimæ opinionis & fidei. *Et hæc eſt communis DD. concluſio.* A quorum officio requiritur, (1) ut interrogati exprimant cauſas, indicia & conjecturas, quibus orta eſt mala fama. (2) exprimant auctores, a quibus fama eſt orta, ſi non determinatè, tamen probabiliter. (3) dicant ſe audiviſſe a majori populi parte publicè dicentis inquiſitam eſſe ſagam. *De quib. vid. prolixius Farin. in Prax. Cr. Q. 47. cum ampliationib. et limitationibus n. 207. usque ad n. 277.* Et hæc in praxi totâ die attenduntur, adeò ut cati Advocati fiſci in concipiendis articulis inquiſitionalib. inter alios quoque & hunc ponant: Ob nicht wa

Fama male requiſita.

Fama oriri poteſt à fœmina.

Fama debet probari per teſtes.

A teſte quid requiritur?

daß N. angeklagte von den Leuten dieſes Ortes zu N. lange Zeit hero mit Zauberey verdacht und berüchtiget geweſen/und für ein Zauberin/gleich wie auch ihre Mutter von N. und vielen Leuten gehalten.

Articulus de famâ conceptus.

§. V. *Secundum* indicium eſt *nominatio ſocii criminis*, Magi vel Veneficæ germ. Das Bekändnüß der Mitgeſpielen. Quæ, quin Judici indicium ad ſpecialem inquiſitionem inſtituendam præbeat, nullum eſt dubium, modò ſequentia cum eâ concurrant: (1.) non proficiſcatur à perſonâ infami, quæ fidem elevat, quales quidem ſunt omnes magiæ complices: Diſpenſante tamen ita lege ex juſtâ cauſâ admittuntur ad denunciationem, & teſtimonio illorum de aliis fides adhibetur, quia vix alii poſſunt haberi, cùm maleficæ non ſoleant hoc crimen niſi corâ complicibus committere, quibus ſolis artes ſuas detegunt, dummodò ſit facta denuntiatio in torturâ, extra quam parùm creditur infamibus. *Hip. de Marſil. Pract. cauſ. Cr. §. diligenter, n. 61. 62. & ſeqq.* (2.) Requiritur, ut denuncians aut inculpator nihil iræ vel rancoris & odii habeat cum nominatô. Quod Judex diligenter explorare tenetur, nam inimicitiam contra denunciatam in denunciante animadvertit, equaquàm iſtiusmodi indicationi contra nominatum fidem adhibeat, ſi præſertim non probabiles aut alias legitimas rationes & argumenta adduceret. (3) Requiritur ex parte Judicis, ut non interrogarit veneficum veneficamve de ſociô aliquô in individuô, ſed in genere de ſociis, non de hac vel illâ, quia hoc foret ſuggerere, non inquirere, *arg. l. 1. §. 12. ff. de Quæſtion. Conſt. Cr. Car. V. art.* 2. (4.) Requiritur ex parte criminis, ut nominans dilligenter ſit interrogatus de omnibus circumſtantiis, quid egerint invicem? quomodò, quô in locô, & quô tempore ſocius, quem nominavit, præſtò fuerit? *Conſt. Cr. Carol. V. d. art.* (5.) Requiritur, ut inquirat Judex â Vicinis, an nominata perſona fuerit de tali crimine fide dignis unquam diffamata vel ſuſpecta habita? Sin minùs, bona fama omnem nominationem ſocii elidit. (6) Ut Reus in ſua nominatione non vacillet aut variet, ſed conſtanter extra vim & fraudula rogatus denuò repetat ratificetque denunciationem. Ita itaque nominatio Sagæ prædictô modô ſe habeat, non ad inquiſitionem ſolùm aliarum ſagarum, ſed etiam ad torturam concur-

Indicium (2.) Nominatio ſocii. Requiſita nominationis. primum

ſecundum

tertium

quartum

quintum

ſextum

rentibus aliis indiciis, facit indicium. *Vid. de his latius Godelm. de Mag. L. 3. c. 9. Delr. disqui. Mag. L. 5. sect. 3. p. m. 706.*

Tertium Indicium. Suspicio.

§. VI. *Tertium* indicium ad inquirendum est *suspicio*, ex quâ tutò Judex procedere potest ad inquisitionem, ita tamen ut diffamatio suspicionem præcedat. Secus ac vult. *Joh. Franc. Ponzinib. in tract. de Lamiis. n.* 88. ubi dicit; quod in hoc crimine ex solâ suspicione procedatur ad inquisitionem, quamvis diffamatio non præcedat, quæ in aliis criminibus debet præcedere. Si enim diffamatio non requireretur, darentur nimis laxæ inquisitoribus habenæ inquirendi, si possent ex suô cerebellô suspicionibus refertô contra omnes inquirere, nullâ diffamatione præcedente. Suspicione autem laborant siniſtrâ fœminæ diffamatæ, si natæ ex Parentibus venficis. Si enim mater est saga, est etiam filia: Quod in causâ impudicitiæ dicitur, filiam matri persimilem esse, non semper verum est; de magis verò omnibus ferè certissima est regula, uti ex innumeris Judiciis compertum asserit *Bodin. de Mag. dæmon. Lib.* 4. *c.* 4. cui adstipulatur illud Catulli:

Nam Magus ex matre & gnato gignatur oportet,
Si vera est Persarum impia religio.

Articuli de suspicione concipi solent.

Quamobrem in articulis concipiendis advocati suspicionem hanc non præterire solent: Ob nicht war daß Angeklagt in N. Mutter mit gleicher Zauberey umgangen/ auch von iederman in der Nachbarschafft für eine Zauberin gehalten worden. Nullum enim est sacrificium, quod ab istis hominibus tantoperè diabolus expetat, quàm ut suos, ipsorumque liberos, simul ac hauserunt lucem, ipsi voveant, *Godelm. de Mag. L. 3. c. 3. n.* 16. Non levem quoq; suspicionem gignit confessio alicujus in articulô mortis facta: Daß iemand darauff gestorben/ daß dieses Weib eine Zauberin/ und ihme vergeben oder verderbet &c. Ubi quidem non sufficit dicere, hæc mulier veneficiis suis me interemit; nisi etiam probabiliter demonstretur, qualiter & quomodò interemerit, cùm non satis sit factum probasse, nisi & qualitates probentur. Potest enim fieri, ut morbus ejusmodi gravis & periculosus ex causâ naturali descendat. Quô casu omninò peritorum Medicorum & Chirurgorum judi-

Confessio de læsione sagæ in articulô mortis facta, est quoddam indicium.

judicium est requirendum, qui judicabunt, an, qui talia confessus est, illius morbus ex causis naturalibus provenerit, an verò ex veneficiô originem sumserit. Si causis naturalibus fontem adscribunt, confessio nullius erit momenti & planè superstitiosa. Auget etiam suspicionem, si quæ ad veneficii crimen sibi objectum taceat, seque non defendat, cùm tacendô videatur crimen objectum non inficias ire *per. Reg. qui tacet &c.* præsertim si alia indicia eam adminiculentur, scil. quod infamatæ frequenter ab amicis & vicinis ad honorem & famam defendendam admonitæ, hoc negligant, neque ad hoc verbulum ullum ipsis respondeant.

Suspicionem auget, si quæ ad veneficii crimen sibi objectum taceat.

§. VII. *Quartum indicium* Inquisitioni speciali instituendæ subministrat *fuga*, quæ contra fugientem aliàs gignit ordinariè suspicionem & præsumptionem non levem delicti commissi. Non tamen sola facit indicium ad torturam, sed si indicium in hoc crimine præbere debeat, ita comparata sit, ut fœmina, ubi in genere intellexerit, inquisitionem in crimine veneficii debere institui, fugæ se committat, aut se occultet latenter in civitate aut locô ubi habitat, antequam citata fuerit, aut ei porrecta accusatio. Hoc enim casu apertè colligitur, quod fuga causetur ex propriâ criminis conscientiâ. Quod si verò formatâ jam & institutâ contra se inquisitione seu porrecta accusatione fugam arripuerit mulier, magis ob timorem molestiarum & vexationum, quæ ex incarceratione & accusatione proficiscuntur, & quas non omnes subire volunt, etiam quod innocentes sint, aufugisse videtur. *Farin. Quæst. 48. n. 27. Delr. d. L. 5. Sect. 3. vers. quintum indicium.*

Quartum indicium est Fuga.

Fuga quomodo comparata?

Cum indiciô *fugæ* paria facit crebra *mutatio loci* & translatio domicilii, quæ magnam præsumtionem contra inquisitam generat, maximè si fiat post diffamationem, vel complices captas. De sagis enim, dicit *Bodinus L. 4. c. 1. p. m. 324.* ferè comperies, eas de locô in locum, de pagô in pagum migrare, nisi bona certô in locô remorentur ipsas: Quod retectæ solent facere metuentes ab accusatione. Cognoscenda itaque occasio, cur sedem mutarint, & oculi studiosè in vultum earum configendi, (non enim gens ista homines audet in os inspicere) *Bodin.* Sæpè etiam cum mutatione loci nomen mutant, ut eò tutius tegantur. *Delr. L. 5. Sect. 4.* Si verò justam migrandi causam probet mulier, & alioquin bonâ

Mutatio loci fugæ affinis.

fama vallata sit, indicium hoc nihil vestigii ad inquirendum relinquet.

Præter recensita, sunt & alia indicia. Modus, remediis superstitiosis explorandi sagas, est illicitus.

§ VIIII. Sunt & alia quædam indicia minus urgentia, quibus per se solis Judex non potest ad inquisitionem procedere, si tamen concurrant cum aliis nonnullis, licet non adeò valentibus, modò non superstitionem sapientibus, (*quàm certè sapiunt imperitorum & sanguinariorum Judicum ausus temerarii, qui recensente Godelmannô L. 3. c. 3. per saltum cribri veneficas explorant; aut pueris templum adeuntibus novos calceos axungiâ suillâ peruncTos curant indui, aut res quasdam alias templorum liminibus substernunt, ne venefica possint egredi, aliisve modis diabolicis sagas explorare tentant, quorum aliquot recenset Berlich, in Conclus. Part. 4. concl. 4. n. 34. usque ad n. 39.*) optimè informant Judicem, ut talium suspectarum personarum facta & actiones diligenter vel per se, vel per alios, notent: Quales plerumq; solent esse, inimicitiæ, si singularitatem quandam impietatis præ se ferunt fœminæ, vel nimiam religiositatem ostentant; Mala physiognomia, inconstantia, titubatio, trepidatio, quando judicem non audet in os inspicere; Conservatio cum malis hominibus; si quis occultat sagam seu recipit; Qui verbis & factis, consiliô & pecuniâ sagas juvant; Qui defensionem & patrocinium sagarum scienter sagas esse suscipientes criminis enormitatem elevant. Quæ omnia Judex observare debet.

Indiciũ quoddam præbent, Impietas. Nimia religiositas. Physiognomia. Conservatio. Occultatio. Patrocinium.

CAPUT VII.

proponens

Apprehensionem & capturam Lamiarum.

§. I.

Ad capturam temerè non est procedendum.

Accusationem & inquisitionem legitimè institutam proximè excipit captura Lamiarum. Ad quam Judicem inconsultô calore & temerariè properare non decet, cùm irreparabile præjudicium & irretractabilis ignominia, ex hâc incarcerationè propter crimen veneficii, resultet. Quamvis multi Juris Interpretes in eâ sint opinione, quod in causis criminalibus semper incipi

cipi possit à capturâ, etiam nullis præcedentibus indiciis. *Bald. & l. si certus. 6. ff. ad. SCtô Silan. & in l. 2. C. de his qui latrones &c. Id. in l. consentaneum 8. C. quomodo & quando Judex. sentent. Farinac. Q. 27. n. 115.* Sanior tamen & magis pia ac crebrius recepta est sententia eorum, qui incarcerationem seu capturam tum demum in criminalibus admittunt, quando prius legitima præcesserint indicia, & constiterit, delictum esse commissum, aliàs sunt ligatæ manus judicis ad procedendum *Hipp. de Marsi. in Pr. Cr. §. constante n. 1. Angelus Arelin. in tr. de Malef. Mynsing. Obs. Cent. 5. Obs. 69.* Nec quicquam peculiare obtinet in Criminibus atrocissimis, inter quæ numeratur veneficium & Crim. Læs. Maj., cùm nec in his aliquis de jure capi possit, nisi legitima præcesserint, indicia. *Glos. in l. si quis 1. C. ad L. Jul. Maj. Hipp. à. Mars. Prax. Cr. §. constante. 2.* Si enim ad capturam nullis indiciis Præcedentibus procederetur, verendum omninô esset, ne, si captis mulieribus maleficii delatis propter nulla exinde emergentia, & ad torturam legitime sufficientia indicia carcer iis relaxatur, pessimæ istæ mulieres non solùm ad nocendum magis irritentur, & ad graviora quævis animentur, instigante generis humani hoste satanâ: Sed etiam reliquæ ejusmodi farinæ criminisque consciæ vetulæ, istiusmodi exemplô indies ad veneficia propensiores, atque ad scelera perpetranda tum securiores, tum alacriores fiant, impunitatem quasi malorum præsagientes Herm. *Gœhaus. in proc. contra. Sag. Tit. 1. in addit. lit. D. p. m. 31.*

Indicia capturam debent præcedere.

§. II. Legitima verô in hôc crimine ad capturam indicia non possunt accuratè propter personarum ac rerum varietatem determinari, sed reliquuntur arbitrio Judicis, qui tamen non solet propriâ authoritate procedere ad capturam, sed regulariter prius consulit S cabinatus *Magnific. Dn. Bechmã. in Com. ad D. Tit. de cust. & exhib. reor. n. 2.* Et quoniam inquisitio specialis ut plurimùm â capturâ incipit, eadem fermè, quæ ad inquirendum ad capturam quoque legitimè instituendam sufficiunt indicia: Nisi quod aliquantò graviora & ponderosiora esse debeant. Quæ enim ad inquirendum per se sola sufficiunt indicia, eadem, si cum aliis præsumtionem contra inquisitam afferentibus concurrant, sufficiens ad capturam progrediendam constituunt indicium. Sic fama sola nullis aliis adminiculis suffulta, minimè sufficit ad capturam, sed tanquam.

Eadem sufficiunt indicia ad capturam, quæ ad inquisitionem.

Sola fama non sufficit.

quam vana vox populi est condemnanda: Quod si autem ea sit legitimè probata, & procedat ex aliquâ verisimili causa, aut alia indicia; velut nominatio unius complicis, confessio proprii criminis, fuga, conversatio, secreta diaboli collocutio, minæ & similia concurrant, tunc non solùm ad capturam, sed etiam torturam rectè procedere potest Judex. Idem & judicium esto de inculpatione socii criminis, quæ sola ad incarcerationem non sufficit, nisi aliæ præsumtiones accedant, & nominata persona sit alioquin malæ famæ. Herm. Gœhausen *in proc. contr. sag Q. 7.* distinguit inter nominationem unius sagæ ante pœnitentiam, & post pœnitentiam criminis factam. Ante pœnitentiam criminis, si â saga socia nominaretur, facile accidere posse, ut complex criminis, aut denunciatæ privilegiô veniam speret, aut ejus odiô cupiat illam eodem suppliciô perire, ut habetur *in l. fin. C. de Accusat.* Quamdiu enim in Rea pœnitentiæ signa exteriora nondum apparent, præsumi potest, mentiendô velle nocere aliis. Si verò post confessionem de se ipsâ factam, & sententiam condemnationis latam ad seriam pœnitentiam & dolorem criminum disposita, sicque pœnitens in forô exteriori appareat; sociam indicet, hoc casu personæ denuncianti plus fidei tribui debet, atque si nulla alia levia adminicula concurrant. Et potest Judex ob unius nominationem inquirere, inquisitamque carceri includere. Inter alia ad capturam sufficientia connumerari vulgò solet *fuga* delinquentis, & fugitivum incarcerari jura permittunt. Quô nomine si suspecta malefica sit, uti semper, cùm ut plurimum sint viles personæ, suspectæ & proclives in fugam habentur; vix accidit, ut Judici non liceat, post nudam etiam extra judicialem informationem vel querelam talem personam incarcerare, modò Judex securus sit, quod post captam ream vel testes contra eam sint deposituri, aut alia indicia sint emersura. *Mart. Delr. disq. Mag. L. 5. Sect. 7. Farin. Q. 47. n. 114.*

Nominatio socii ante pœnitentiam præsumitur falsa.

Post pœnitentiam plus fidei nominationi habetur.

Saga de fugâ suspecta in carceranda est.

§. III. Quoad personas, quæ in hoc veneficii crimine incarcerari queunt, sciendum, quòd quidem personarum in dignitatis gradu constitutarum, quales sunt Nobiles, Doctores, Clerici, Senatores aliique, in aliis delictis aliquis respectus habeatur: Sed in atrocissimis delictis, quale & nostrum est, nulla dignitas Reos Reasve â vinculis liberat, sed sicut hæresis omni privilegiô & digni-

Nullô dignitatis respectu habito in carceranda saga.

dignitate eas ſpoliat. Cenſuit quidem Godelman *L.3. cap.1. n.12. 13. & 14.* ſub fidejuſſoriâ, imò & juratoriâ cautiones Reas eſſe relaxandas, multosque citavit; ſed inprimis illi Dd. non loquuntur in terminis & expreſsè de noſtro crimine. Adeòque non ſimpliciter & abſolutè Rea propter ampliſſimas facultates dignitatemque fidejuſſoribus datis erit relaxanda, niſi urgeant graviſſimæ cauſæ, & fidejuſſores ſeſe ut cuſtodes perſonæ inquiſitæ obligent: *Menoch. de Arb. caſ. 303. n. 37.* Quo caſu metus, ne Rea in caſum condemnationis aufugiens judicium efficiat eluſorium, ceſſat. Juratoriam verò quod attinet cautionem, periculoſum eſt, Ream ſub juramento carcere dimitti, cùm non præſumantur ſagæ Judici jusjurandum ſervare, quæ Deo Creatori perjuræ ſunt factæ *Delr. Diſq. Mag. Lib. 5. Sect. 7. p. m. 733.* Interim tamen ejusmodi fœminæ carceri non debent atroci & periculoſo includi, aut in ſubterraneas ſpeluncas detrudi, ubi, quod ſæpe fit, ſolitudine diuturna, carcerum ſqualore, & caligine tetra, variis dæmonum ſpectris exhorreſcentes miſellæ Dei creaturæ veneficæ vel lamiæ, antea nonnihil diaboli aſſidua ſuggeſtione vexatæ & torturis variis exarnificatæ, malunt potius mori, quàm ferocius in easdē putidiſſimorum carcerum ſpeluncas & equuleos præcipites retrudi. *Godelm. de. Mag. Lib. 3. c. 6. n. 10.* Hinc benè monet Danæus *in dial. d. ort.* Sagam in vinculis relinqui non oportere ſolam, ne cum Diabolô communicet ſermonem, aut rem habeat, qui eam â verô dicendo abducit, aut à rebus confeſſatis diſcedere jubet.

Sub fidejuſſoriâ cautione quando relaxanda?

Juramenta non ſervans ſaga.

Carcer ſit tolerabilis.

Non ſola in carcere relinquenda.

§. IV. In ipſô captivitatis actu Judex non ſatis habeat perſonam veneficii ream comprehendiſſe, ejusque geſtus, vultum, colorem, ſingula dicta & ejusmodi ſceleratæ conſcientiæ ſigna ſtudioſè obſervaſſe, ſed inſuper ſtatim omnes areas & angulos domus, quâ extracta eſt lamia, perquirendos curet: Num inveniantur pixides, unguenta, pulveres, membra humana, imagines cereæ acubus transfixæ *Bodin. l. 4. c. 2.* inſtrumentum obligationis diabolicæ, buſones, quos in ollis alunt ſacratis hoſtiis paſcunt, batizant, & ad res magicas utuntur, cujus impietatis quotidiana exiſtunt exempla, uti dicit, & nonnulla profert Bodinus *de Mag. dæmonom. L. 2. c. 8. p. m. 218.* & alia ad veneficium apta inſtrumenta. Neque Reis permittat iterum ingredi domum, ne ca-

Domus ſagæ ſtudioſè perquirenda.

Sagis non concedendum iterum ingredi domum.

capiant taciturnitatis medicamenta, quibus in torturâ insensibiles fiunt. Et quamvis profanum lictorum vulgus in capiendis lamiis multa superstitionem redolentia factitet, qualia sunt: Quod similes de domô tollant, ne antequam carceri mandentur, terram pedibus contingant; Et quod detrahant omnem illis vestem, & induant eas solâ quadam interulâ, quæ unô die neta, texta & consuta: A superstitione tamen aliena est consuetudo illa, quâ Lamias omnibus suis vestibus spoliant, & aliis vestiunt, eâ gratiâ, ne quid maleficii lateret in vestibus, quapropter hæ diligenter excutiendæ & scrutandæ erunt. Valde autem superstitionis nomine mihi suspectum est, quod quidam Auctores *Sprenger. in Mall. Petr. Greg. L. 13. de republ. c. 30. n. 4. Bodin de Mag. dæm. L. 3. c. 4. p. m. 270.* scribunt: Admonendos esse judices, ne patiantur se à Veneficis tangi super nudam juncturam manuum & brachiorum. Huic simile est, quod addunt, producendas esse maleficas ante Judicem tergô adversas, quia putant, Sagam Judicis animum ad misericordiam posse inflectere, si prior oculos in judicem potuerit defigere, Judicemque ita visu earum fascinari, ut fiat mitior ac facilior ad absolvendum. Nonne hæ sunt næniæ pueriles? Quid tactus nudus? quid adspectus solus veneficarum virium habeat? ad Judicem à tramite justitiæ deturbandum. *Delr. L. 5. S. 7. p. m. 734.*

Vestes lamiis scrutandæ.

Judices à sagis se tangi non patiantur.

Tergô obversô sunt introducendæ.

§. V. In captivitatem itaque redactis lamiis, Judices eas diu in carceribus non detineant, sed vel fontes velox pœna consumat, vel innoxiæ repertæ liberentur maturius *per l. 5. C. d. Cust. Reor.* Idque propterea, ne sibi ipsis necem inferant, cùm diabolus eas semper ad mortis consilium inducere soleat. Non verò eum in finem acceleranda est executio, quod metus sit, ne à diabolô è manibus publicæ justitiæ per corporalem delationem carceratæ tandem eripiantur: Quod ipsum nec diabolus vult, nec si vellet, Deus ipsi permitteret. Dæmon enim qui nihil avidius cupit, quàm animas multas lucrari, & ad tenebras inferni multifariam fraudibus homines pertrahere: Quàm primùm videt Lamiam esse apprehensam, cùm anima ejus suæ potestati sit subjecta, nihil aliud quærit, nisi ut separetur famulæ suæ anima à corpore, ut quam adhuc sub conditione possedit, jam post rogum purè & totali-

Nimis diu in carcere non sunt detinendæ.

& cur?

Diabolus lamias à carceribus eripere non potest.

Sed optat earum mortem.

totaliter lucretur, quæ posset per pœnitentiam ejus imperium subterfugere, & se renuire cum Christi fidelibus. In faciem tamen, dissimulatis insidiis, Lamiis multas pollicitationes, liberationem concernentes, dat, ut professionem diabolicam nullatenus revocent, etsi res etiam ad ignem redigatur, promittit, se flammas ingenti imbrium vi esse exincturum, aut si forsan mori contingat, sese post mortem similes dæmonibus esse futuras. Altera ratio quæ frangit vires dæmonis in liberandis lamiis incarceratis est, quod divina justitia non permittat, dæmonem exercere potentiam suam in suos, ne aliqui Judices & Officiales curiosi forsan videntes aliqua signa manifesta liberationis eorum, invitarentur ad prosequendum illarum professionem: Neve etiam diabolus videretur majorem habere potestatem in suis ministris strigibus, quàm Deus & Judex, qui est minister Dei. *Paul. Ghirl. de Sortileg. Q. 9. n. 2. & 4.*

& liberationem è flammis promittit.

CAPUT VIII.

exhibens

Lamiarum Torturam, ad eamque necessaria indicia.

§. I.

LAmiis in carceres redactis Judex quàm primùm fieri potest, imò antequam carceri mancipentur, operam dabit interrogationi ac interpellationi Rearum de veritate criminis commissi degetendâ. Idque propterea, tum ne contra inauditam partem aliquam definiatur. *l. 74. ff. de Jud. l. 6. C. unde vi l. 1. & tot. Tit. ff. & C. de Requir. reis. cap. 1. in f. de cauſ. poſſ. & propriet.* Quod & in maleficiis rectè procedit. *per l. 2. ff. ad L. Corn. de ſicar.* Tumetiam ne causæ criminales, quas citissimè terminari reipub. interest, in procrastinandô examine moram ac difficultatem cum dispendiô & jacturâ carceratorum, sentiant. Nam semper compertum est, si Bodini experientiæ auctoritas inest, sentire sagas, cùm primùm prehensæ fuerint, se à satanâ deseri, velut attonitas animo consternari, ac tum fateri ultrò, quod

Lamiæ de veritate dicendâ sunt interpellandæ maturè,

Rationes examinis maturandi.

nulla vis unquam quæstiove expresserit. Sin autem aliquandiu in vinculis sagam Judex sinat torpescere, non esse dubium, quin eas satanas sit informaturus. *Bod. de Maj. dæmon. L. 4. c. 1. p. m.* 323.

Examen secundum formulã à Ghirlando traditam instituendum.

§. II. Examen autem seu interrogatio Lamiarum debet a Judice institui articulatim, quæ commodissimè fieri potest ad formulam illam à Ghirlando *tr. de Sortileg. Q. 7. n.* 28. traditam: Quid nempè sit illa professio quam faciunt cùm dæmone, quibus modis ac ordine ad illam accedant, & quibus ceremoniis & solennitatibus in eâ utantur? Ad quid se obligent dæmoni? Sub quâ formâ verborum fiat ipsa obligatio? Quæ sint ab iis servanda & ad quæ teneantur? Quæ præmia habeant, & quæ habere sperent ab earum Principe dæmone? Ex quibus rebus simplicibus vel mixtis componant ungventa, quibus liniant corpora sua dum vadunt ad ludos? Cùm quibus etiam rebus faciant illa venefica maleficia? quem ordinem teneant quando accessuræ sunt ad ludos prædictos? sitne verum, quod vadant corporaliter, vell illa sit illusio sive visio quædam in apparentia, in mente & intellectu? Casu quô accedunt corporaliter, an ambulent pedibus propriis, vel aliter deferantur, & quomodo, & per quem? Item quomodò & aliter celebrent sacrificia, offerant preces & munera Dæmoni? Item quæ sint illis in præcipuâ observantiâ in dictâ professione? & alia hujusmodi, quæ Judici videbantur exquirenda, inter quæ præcipuum locum obtinet interrogatio de copulâ carnali cum dæmone. Articulos & interrogatoria in hoc veneficii crimine usitata & in formam jam redacta vide sis apud *Joh. Georg. Godelm. de Mag. L. 3. cap.* 8. *Herm. Gœhausen. in proces. contra sagas Quæst.* 15. *per tot. p. m.* 139 *& Ludovic. Gilhaus. in A. Cr. cap.* 2. *Tit.* 17. *n.* 18. *p. m.* 69. *& aliquot seqq.*

In primô examine nimis rigorosus non sit Judex.

§. III. Præcipuè Judex in primô examine leniori & mitiori incedere potest viâ, ut ab accusationis & suspectis eò facilius exprimat veritatem. Induat Judex commiserantium speciem, dicat non ipsas captivas, sed diabolum auctorem esse, & compulisse, ut necem hominibus quærerent, proinde ipsas videri innocentes & accusatas. Quod si rem, ut sæpe fit, sagæ ex veritate coram multis dubitent proloqui, Judicis officium est, ut duos aut tres homines post aulæum stare jubebat, qui dicta auribus non

scriptô

scriptô excipiunt, & decerptæ deinde confessiones mandentur scriptis. *Bodin. d. Lib. 4. cap. 1.* A minis ultimi supplicii seu mortis in examinandis Reis omninò Judex abstinere debet, cùm nihil tantopere veram criminis confessionem impediat, quam metus mortis. *An autem Judici liceat mendaciis, impunitatis promissione falsâ confessionem à sagis elicere?* De hoc in diversas abeunt D D. sententias. Bodinus *L. 4. c. 1. in fin.* præcipitanter nimis & periculosè asserit, *liceri mentiri*, ac inde concludit, licere quoque Judici dolô, falsis promissis, vel mendaciis à rea veritatem elicere, v. g. ut fingat Ream ab aliis complicibus denunciatam, ut promittat liberationem, quàm ei non cogitat servare *etc. quæ omnia Judici permittit Bodinus.* Verùm nos, præsupponentes mendacium, (quod nomen hujusmodi meretur) ex suâ naturâ malum esse, & nunquàm benè ac rectè sine peccatô fieri posse, & per necessarium consequens haut licere judici dolô malô, falsis promissis vel mendaciis à reis veritaten elicere; Dicimus aliud *esse falsum dicere*, aliud *occultare verum*: Prius pertinet ad dolum malum, quô neminem, maximè judicem agere decet, qui scienter in Judiciô mentiens haut dubiè peccare mortaliter. Posterius verò pertinet ad dolum bonum, & sæpè licet, quoniam nec jure divino nec humano repugnat, & naturalis ratio non omnibus se perperam manifestare concedit, ut ait Imper. *in l. 14. C. de contrah. stipul.* Undè verissima est hæc conclusio, quàm facit Delrio *Lib. 5. sect. 10.* & benè probat Covarruv. *Lib. 1. cap. 2. in f.* Poterit Judex uti æquivocatione & verbis subdolis citra mendacium & ambiguâ promissione liberationis, ut Reum Reamve inducat ad fatendum veritatem, & auctorem criminis commissi deprehendat. Hâc enim ratione, delictâ cognoscendi per æquivocas promissiones, Judex nec intendit Ream liberare, nec verba ejus liberationem necessario significant, sed saltim dolô bonò malum obstinati silentii animum Reæ decipere conatur, quæ si confitetur sibi imputabit rea, quod non subtilius sensum verborum ambiguorum discusserit. Exempla hujus æquivocationis seu doli boni recenset Spreng. *in Mall. Malef. quæst. 15. & ex eô Delrio* Dict. loc. Veluti si Judex per verba generalia promittat facere gratiam, sub intelligendo *reipublicæ*, in cujus conservationem totum quod

A minis mortis abstineat.

Q.
An Judex uti possit in examine mendaciis & promissione impunitatis falsâ?

Mendacium per se est malum.

Occultare verum est dolus bonus.
Conclusio vera.

Exempla promissionum ambiguarum.

fit, est gratiosum: Curaturum Sagæ domum novam extrui, domum intelligens ligneam, in quâ erat comburenda: Confessionem sibi utilissimam futuram ad vitam comparandam, hoc enim Judex intelligit de vitâ æternâ, cujus post pœnitentiam & supplicium perpessum particeps fieri potest, *& similia.* Effectus autem per dolum exortæ confessionis talis non est, ut Judex ex hâc solâ confessione Ream damnare possit, nisi Rea posteâ compertâ fraude de novô crimen fateatur sponte, nec retractet confessionem, vel alia satis prægnantia indicia & argumenta accedant.

Effectus dolosa confessionis quis?

§. IV. Quod si hàc mitiori viâ veritatem expiscandi apud Sagas Judex non magis proficiat, quàm si surdo narret fabulam, ac de pumice aquam postulet, sed istæ in negatione obstinatæ persistunt, & verò Sagarum crimen occultum & facti transeuntis est, quod nullâ vastigia post se relinquit, de corpore delicti per testes aut aliter constare non potest, tunc, ne Reæ defectu probationis sufficientis, negatione patrocinante, impunè scelera sua atrocissima cum palpabili Reipub. intetrimentô, habeant, Judex consultô prius, propter difficultatem, Scabinatu aliquô aut Facultate Jurid. *per Const. Cr. art. 7. & 219. Hahn. ad VVes. Par. 7. de quæstion. n. 5. quod idem vult Nov. 82. §. pen. & N. 113. §. 2.* præcedentibus legitimis indiciis, indefensionis deductione per contrarias probationes non satis elisis ac refutatis, *Const. Cr. Art. 28.* Ream torturæ non attentô eô, quod fragilis dicente Ulpian. *in l. 1. §. 23. ff. de Quæstion.* res sit, nec fides ei semper habenda, subjicere rectè potest.

Lamiar. crimen facti. transeuntis est.

Scabinatus prius de torturâ instituenda sunt consulendi.

§. V. Cum itaque certissimi Juris sit, torturam absque præcedentibus legitimis & sufficientibus indiciis, Reis minime posse inferri. *l. 1. §. 1. l. 18. §. 1. l. 20. l. fin. ff. de quæstion. l. 3. in pr. l. 9. C. de quæstion.* Const. Cr. art. 6. 7. 8. 18. 20. 22. 23. It wo nicht zuvorredliche Anzeigung der Missethat / wornach man fraget / verhanden / und beweist würden / soll niemand gefragt werden &c. Ubi sub verbis redliche Anzeigung comprehenduntur etiam redliche Wahrzeichen / Argwohn / Verdacht und Vermuthung per dict. art. 19. Et verò singula crimina sua peculiaria & quasi domestica indicia habeant, e quibus judicium de infligenda torturâ ferri potest:

Absq; præcedentibus indiciis rei non torquendi.

Quodlibet crimen sua habet peculiaria indicia.

Non

Non malè me collocaturum operam arbitror, ſi in indicia Sortilegii ſeu veneficii, priusquàm ad ipſum torturæ actum deveniamus, paulò inquiſivero, quoniam major in hoc, quàm in quoquam crimine, in dijudicandis indiciis ad quæſtionem habendam ſufficientibus, difficultas Judices nonnunquam torqueat. Sunt autem indicia ad torturam ſufficientia, alia *gravia & urgentia*, alia *Levia & minus urgentia.*

Indicia ſunt vel gravia vel levia.

§. VI. *Urgentia indicia ſunt* (1*mum*) ſi quæ Saga ſe offerret ad tradendum docendumq; artes diabolicas. *Ord. Crim. art.* 44. *in verb.* wenn jemand ſich erbeut andere Menſchen Zauberey zu lernen. Hoc enim ipſo magi & veneficæ fatentur ſe ſcientiam hujus artis habere, & proinde non immerito torquentur. Hinc ſvaſerim Judici cum Bodino *L.* 4. *c.* 1. *p. m.* 322. quò absque multis ambagibus de hoc indicio conſtare poſſet, ut ſagarum puellas poſt matrem captam comprehendi curet. Etenim non rarò compertum eſt, illas à matribus informatas & in conventus fuiſſe perductas. Quarum tenella ætas facile perſvaderi & impunitatis promiſſione erigi poterit, ut omnia, quæ à matre geſta ſunt, indicent.

Indiciorum urgentium & gravium. Primum doctrinæ.

(2*dum*) indicium. Quando Veneficus aut venefica alteri minata eſt incantationem aut faſcinationem, minisque reſpondet eventus *Conſt. Cr. art.* 44. *ib.* oder iemand zu bezanbern getrâwet/und dem betrâuten dergleichen geſchicht. Siquidem fœminæ naturâ vindictæ ſunt cupidæ, nec linguam â minis cohibere poſſunt, ſi quam nocendi facultatem habuerint. Mors itaque, ſi minas ſequatur, indicium eſt ſufficiens ad torturam. Hinc in articulis reliquis, & hic poni conſuevit. Item wahr daß N. Angeklagtin N. getrâwet/es ſolte ihm übel bekomen/worauff er auch alſobald in eine übernatürliche Kranckheit gefallen. Minæ autem tunc demum ad torturam contra minantem præbent indicium, (1) Si minitans perſona malæ vitæ eſt, & conſvevit minas exequi via facti *Mascard. de prob. V.* 2. *concl.* 10. alias minæ pro vanis & à calore iracundiæ profectis habentur, cùm nec lubricum linguæ ad pœnam facilè trahendum ſit, per *l.* 7. §. 3. *ad L. Jul. Maj.* (2) Si ſubſequatur calamitas non ex intervallô, ſed in continenti, ſi oportunitatem nocendi habuerit, ſi verò ſta-

Secundum minarum.

Minæ quando præbent indicium?

tim non habuerit, ac eam nactus fuerit ex intervallô, nihil elevat indicium intervallum *Farin. l. 50. n. 14. per tot.*

Tertium Conversationis.

(3tium) Indicium est frequens cum certis & convictis sagis ac magis consuetudo, ita verb. dict. artic. Auch sonderliche Gemeinschafft mit Zauberin oder Zauberern hat. Similis enim simili plerumque adhæresci *arg. l. 15. §. 18. ff. d. Injur. l. 25. §. 6. ff. d. Ædel. Edict.* Non tamen quævis conversatio cùm malis hominibus indicium torturæ gignit, sed ea tantùm, quæ fit cum hominibus sortilegii crimine *supra dict. mod. cap. 6. §. 5.* infamatis; Si quis cum iis tam assiduâ & strictâ amicitiâ sit copulatus, qualis cum veneficis aut convictis magis nemine esse potest, ut faciat præsumtionem valdè verisimilem participationis in hoc crimine. *Farin. Q. 43. n. 174. & n. 177.*

Quartum Rerum suspectarum.

(4tum) Indicium, si quis res de veneficiô suspectas secum habeat, aut moribus, gestibus vel verbis utatur, quæ incantationem designare solent *dict. art. 44. ib.* oder mit solchen verdächtigen Dingen / Geberden / Worten und Wercken umbgehet / die Zauberey auff sich tragen. Utpote si penes sagam, vel in illius conclavi aut cistâ reperiantur venena mala, ollæ impletæ bufonibus, hostiis, membris humanis, imaginibus, vel si inveniantur penes eam libri magicici, vel instrumentum obligationis aut propriâ manu scriptum, aut saltim subscriptum, & subsignatum. Si saga dæmonem invocet & cum eô loquatur, & ille quamvis non cernatur respondeat. Quæ omnia si cum diffamatione concurrunt justum ad torturam præbent indicium *Godelm. de Mag. L. 3. c. 10.* quoniam hæc fâcti evidentis & per manentis esse quodammodo videntur *Bodin. Lib. 4. c. 2. p. m. 331.*

Præter indicia in Const. Cr. Carol. V. expressa sunt & alia indicia.

§. VII. Et hæc quatuor relata indicia, ex quibus tutò Judex in hoc crimine ad torturam procedere potest, habentur in Const. Cr. Car. *V. art. 44.* & exempli causâ tantùm scripta sunt, *quicquid alii dicant.* Quæ autem exempli gratiâ afferuntur, ea regulam minimè stringunt. Ideò præter hæc, sunt etiam alia nonnulla indicia jure approbata, quæ ad torturam parem in modum sufficiunt. *Matt. Berlich. in Concl. P. 4. concl. 4. n. 148.*

Imum Confessio Lamiar. extrajudicialis.

Primum indicium præter casus in Const. Cr. art. 44. expressos, præbet ad torturam Confessio Veneficæ extrajudicialis, si

saga

saga, se hunc vel illum venenis lædere velle aut læsisse, extra locum judicii jactet. Ut autem talis confessio extrajudicialis valeat ad torturam saltim decernendam, non autem *ut Bodin. L. 4. c. 4. p. m. 366.* vult, ad plenariam condemnationem, requiritur (1) Ut confessio veneficæ sit verisimilis, & habeat causam præexistentem possibilem. Nam si nulla sub esset causa, aut impossibilia confiteretur, indicium esset nullius ponderis, & Confessio plane erronea: (2) Ut hæc confessio fuerit facta seriò, non autem jocosè. (3) Requiritur, ut sit confessio specialis, non autem generalis. Non enim sufficit si dixisset, se incantationes exercuisse, nisi etiam dixerit, se hunc vel illum suis magicis & diabolicis artibus interfeciſſe *Godelm. de Mag. L. 3. cap. 10. n. 19.*

Requisitæ confess. 1. 2. 3.

Secundum indicium confessioni extrajudiciali affine est: Si venefica extra judicium veniam delicti commissi postulaverit, eandemque postea in judicio negaverit. *Bodin. d. Mag. dæmon. L. 4. c. 4. p. m. 366.*

2dum *Veniæ petitio.*

Tertium, Si saga dum comprehenditur, dicat: *Actum est de me, aut ne morte afficiatis me, id quod res est enuntiabo.* Certissimum enim est indicium maleficii, cùm quis se ante condemnat, quam accusatur. *Bodin. d. loc. p. m. 362. ubi notabile exemplum Juvenis nidum hirundinibus oppletum conterentis. ac propter hanc crudelitatem ab amicis reprehensi, qui parricidium prodidit simul his verbis*; nimium *diu falsò me accusant paterni parricidii. Ex hoc solò indicio in quæstionem raptus juvenis, parricidium agnovit.*

3tium *Desperatio.*

Quartum indicium ad torturam facit, si saga afflicto & ex maleficiò læso sanationem promittit, aut magicis superstitionibus valetudinem restituit: Wenn sie vorgeben/daß sie die zehrende Elben abtreiben können. *Besold. in Thes. Pract. voc.* Hexen. Aut etiam verborum conjurationibus, invocationibus & benedictionibus (quæ nihil aliud sunt, ut superioribus dixi, nisi formulæ, quibus ex pactò dæmon se cessaturum recipit *Torreblanc. in dæmonolog. Lib. 2. cap. 50. n. 27.*) satanæ utitur ad maleficia eximenda, ac res perditas, & furtim subtractas manifestandas.

4tum *Promissio sanationis.*

Quintum indicium torturæ congruum est, si venefica visa sit, pulverem vel sortem super gregem pecorum injicere, & statim pecora pereunt. *Godelm. L. 3. cap. 10. n. 27.*

5tum *Pulverum injectio.*

Sextum indicium torturæ præbet, si venefica suspecta in domô

6tum *Deprehensio in fossione.*

mô aut ſtabulô alterius deprehendatur fodere, aut aliud quid agere, tempore & loco, quô non debet, & maleficium ſubſecutum ſit, *Gœhauſ. in proceſs. contr. Sagas Tit. 2. in concl. p. m.* 109.

7 timum Tactus vel afflatus.

Septimum indicium ad torturam eſſe poteſt: ſi poſt afflatum aut tactum vetulæ, infans, aut alius mox lentâ tabie fuerit conſumtus teſtesque de iis deponant. Quod ipſum Herm. Gœhauſ. in graviſſimâ quâdam cauſâ ad ipſum pro ſententiâ transmiſſâ pro certô indicio ex omnibus circumſtantiis notavit. *in proceſ. contr. Sag. Q.* 15. *ubi ſimul articulos ad teſtes examinandos ponit.*

8 vum Potus vel cibi præbitio.

Eundem effectum habet & hoc indicium, ſi ſaga potum vel cibum alicui præbuerit, quô ſumtô ſtatim aut mortuus concidit, aut afficitur elephantiaſi, membrorum diſtortione, apoplexiâ ſubitôque morbô. Ubi notandum, quod in morbis, an naturales, an ex maleficiô, dignoſcendis peritorum Medicorum & Chirurgorum judicio potius ſtandum ſit, quàm ſuperſtitioſæ mulierculârum perſuaſioni, quæ etiam naturales morbos maleficio adſcribunt. Propterea ſi ejusmodi homo ex maleficiô mortuus creditur, propter iſtiusmodi violentam præſumtionem contra tangentem cibosque præbentem ortam, poteſt Magiſtratus auſpiciô à peritis aperiri (*auffgeſchnitten und beſichtiget werden*/) an in inteſtinis aut alibi quid reperiatur, quod veneficium ſapiat, aut mortis anſam præbuerit.

9 num Abſentia è lectis.

Tandem *nonum* indicium evidentis facti eſſe dicit Bodin. *L. 4. c. 2. p.* 332. Si ſaga cubili domoque momento abierit, foribus occluſis, quæ veſperi iucubuerat lecto ſuo, ac poſteà in idem revertatur cubile, *cujus rei exempla ſupra poſui.*

Quando recenſita indicia præbeant indicium ad torturam?

§. VIII. Et hactenus recenſitorum indiciorum quodlibet ſigillatim conſideratum, ſufficiens ad torturam præbet indicium, Modo (1) Aliqualis ſaltem mala fama & ſuſpicio veneficii, quæ tamen per ſe ſola, ad torturam non ſufficit præcedat, *Gilhauſ. Arb. Cr. capt. part. 7. n.* 106. *Berlich. Part. 4. Concl. 4. n.* 162. (2) Requiritur ut hæc indicia duobus teſtibus ad minimum probentur habilibus, fide dignis & juratis. Nonnunquàm etiam inhabilibus & infamibus propter penuriam, in torturâ tamen teſtimonium obtinentibus creditur. Per torturam enim defectus teſtis purgatur, adeò ut fidem faciat contra rerum, licet aliàs ſine

1. Cum fama præcedat.

2. Cum per duos probentur teſtes.

tor-

torturâ non probaret, ſecundum Comun. DD. ſententiam, de quâ teſtatur *Godelm. de Mag. L. 3. c. 8. n. 17. 27. 28.* Hi teſtes ſi de actibus magicis & incantatoriis, quos recenſuimus, ſagæ viſu perceptis, aut conjurationibus & invocationibus diabolicis auribus hauſtis deponant, horum teſtimonium ſufficit ad ream torturæ ſubjiciendam, ut propria ad ream condemnandam accedat confeſſio. *arg. l. 8. §. 1. ib. velut. certis indiciis adducti &c. C. de quæſtion. l. 1. §. 1. ff. de Quæſtion. ib. ut ſola confeſſio rei deeſſe videatur.*

§. IX. Dixi paulò ſupra §. 5. indicia ad torturam eſſe vel *urgentia* vel *minus urgentia*, de urgentibus jam dictum. *Minus urgentia ſeu levia* indicia ſunt, quæ quidem per ſe ad torturam non ſufficiunt, ſi tamen cum unô urgente, vel plura leviora concurrunt, maximam præſumtionem, & pro ratione circumſtantiarum indicium ad torturam gignunt. Atque inter ea referuntur (1) NOTÆ ſeu STIGMATA (*de quib. quædam ſupra cap. 3. quæſt. 2. §. 5. prælibavi*) à Diabolô abditis locis, vel ſub palpebris, labiis, axillis, humeris, vel in ſede imâ, fœminis quandoque in mammis aut muliebribus locis, impreſſa, certam quandam formam, aut veſtigii leporis, aut bufonis pedis, aliquando araneæ, vel catelli, gliris aut alterius habentia. *Bodin. Lib. 4. c. 4. p. m. 369. Godelm. L. 3. c. 3. n. 26. Danæ. in dialog. de ſortiar.* Ne autem de quâvis cicatrice in corpore Reæ inventâ, judicium ſuum Judex contra Ream præcipet, quia naturaliter abſque ullô crimine fieri poteſt, ut ex ulcere vel aliunde alicui inuratur cicatrix ſimilis his ſtigmatibus quæ circumferuntur de ſagis, proprietates & qualitates hasce tres, quas habere debet ſtigma à diabolô mulieribus ſagis aut aliis Maleficis inditum, obſervet oportet. *Primò* illa pars corporis, in quâ ſtigma eſt, debet eſſe inſenſibilis: *Secundò* debet eſſe impenetrabilis, & *Tertiò* ſanguinem, ſi perforetur, emittere non debet. Hinc fit, ut, ſi acu perforetur, non ſentiatur dolor, non appareat ſanguis, nec penetratio intus fieri poſſit, duritie quâdam reſiſtente penetrationi. Quod ab experientiâ deducit *Joh. Jacob. Speidel. in Specul. Jur. in voc.* Hexen §. *ſexto quemadmodum Deus: in fin.* Secundum has igitur qualitates, notas, ſi quæ in fœminis ſuſpectis conſpiciantur, explorabit, ſummâ tamen cautione adhibitâ, ne, cum Judicis acu

Indiciorum minus urgentium ſeu levium.

Primum.

Notæ ſeu ſtigmata in corporibus Lamiar.

Forma ſtigmatum.

Proprietates tres habere debet ſtigma Sagar.

vel pugiunculô jubent ſtigma pugni, ſtriges hoc animadvertant; ſolent enim cum advertunt fingere, ſe vehementer hôc cruciari *Delr. L. 5. Sect. 4. §. 28.* Quamobrem Judices, ſi ſtigma tale inquirere volunt, prius ſtrigum oculos obtegant, ac tum ſimulent, quaſi pungant; Quod ſi ſagæ nihilominus humeros contrahant, ac, tanquam pungerentur, ſe dolores ſentire fingant, tum, ex hoc ſolô ſuſpicionem augeri, & indicium torturæ cum aliis præberi, nemo opinor facile negabit. *Gœhauſ. in proceſ. de Sag. Tit. 2. in concl. p. m. 112.* (2) LACHRYMÆ, quas, ſi dum torquentur, nullas emittunt. Nam cenſent DD. quidam, inter quos eſt Paul. Ghirland. *de ſortileg. queſt. 9. n. 3.* & Sprengerus inquiſitores, ſagas lachrymari non poſſe, nec ab unicâ quidem ſeſe potuiſſe lachrymas exprimere, tametſi gemere ſuſpirareque videantur, & omni conatu lachrymari conentur. Quamobrem horum ſententiâ perſvaſus Bodinus *L. 4. c. 1. p. m. 324.* ſtatuit, præſumtionem validiſſimam inde oriri, quia fœmina tempeſtivè & impeſtivè lachrymas & ſuſpiria jaculatur. Verùm ab hoc experimento defectus lachrymarum, incerta admodum veneficii indicia hauriuntur. Tum quia contraria experientia docet, eſſe quasdam adeò duras & ſiccas mulieres, ut licet duriſſimis eas pœnis afficias, lachrymulam, exprimere non poſſis. Pumiceos occulos habeo, non queo lacrumam exorare ut expuant unam modò, & genus noſtrum ſemper ſiccoculum fuit, *aut ille apud Plaut. in Pſeud. Act. 1. Scen. 1. v. 73.* Tum, quia nonnunquàm ipſa doloris magnitudo lachrymas deſiccat & plane tollit, uti Pſamenito, penes quem domeſtica mala lachrymis erant majora. Ex his rationibus ſimul adſpernanda venit & illorum opinio, qui è lachrymis ſagarum ſignum pœnitentiæ & impœnitentiæ eliciunt. Dicit enim Ghirlandus *diſt. loc.* ad cognoſcendum, an verè vel fictè pœniteant ſagæ, advertendum eſt oculos ipſarum, an in fletu & gemitu hujusmodi emittant lachrimas, quas ſi non emittunt, nulla adeſt contritio cordis, ſed omnia ſimulatè fiunt. Audiviſſe enim â Theologo optimo, & excellentiſſimo Canoniſtâ, quod Lachrymæ ipſæ ſint ſigna manifeſta veræ & internæ pœnitentiæ *arg. cap. Petrus & cap. Lachrymæ Diſt. 1. de Pœnitent.* Verùm nec inde certum

Quomodo nota acu pungi debent.

2 dum Lachrymæ.

Incertum à lachrymis petitur indiciũ Ratio prior.

Poſterior.

Ex lachrymis ſignum pœnitentiæ elucet.

tum ſignum pœnitentiæ erit petendum, cùm pœnitenti pro ſe & contra ſe loquenti ſit credendum. Imò videntur ſæpius quidam ubertim flere confitentes exiguò dolere tacti: Et alii multò gravius affecti & icti profundius, nec unam lacrymam emittere. *Delrio diſquiſ. Mag. Lib. 6. cap. 1. ſect. 3. §. in contritione præmuranda in fin.* (3) Huc referunt DRACONEM VOLANTEM. De quò ſciendum, illum, ſi alicujus ædificiis incubat, neutiquam indicium ad torturam facere, propter incertitudinem Draconum; Unum enim genus draconum eſt naturale, alterum præternaturale & diabolicum. Naturale, draconum volantium genus, definientibus phyſicis, eſt meteoron ignitum infimæ regionis aëreæ, quod culminibus ædificiorum plerumq; incubat tectorumq; feneſtris, ita, ut videatur velle ſe immittere. Et hoc ex cauſis naturalibus fit, cùm aër circa ædes ſit temperatior & calidior, ad quem propter cognationem facilius tendit hoc meteoron. Præternaturale draconum genus eſt, quando diabolus, ſe in formam draconis volantis jam definiti transformans, aut ei ſe immiſcens, promiſſi concuratis ſuis dati memor, varia ad vitam trahendam neceſſaria, aliis furripit, & ſuis affert. Hinc incertum & fallax indicium ex hâc incubatione draconis naſcitur, licet immiſcuerit ſe ei dæmon: *Partim*, cùm uti dictum, ex cauſis phyſicis ortum habere poſſit, nec oculorum ſagicitas luſus dæmonum & naturæ exactè diſcernere valeat; *Partim*, cum uti experientia quotidiana docet, diabolus formam draconis volantis induens, piorum & bonæ famæ hominum ædes involet, & cibariis repletus evolet. Ex hac igitur ſolâ draconis incubatione, ſi contra inhabitatorem ædium ſtatim inquirerent, & ad torturam procederent Judices, ſummam iniquitatem, cum damnò famæ irreparabili domini ædium conjunctam, committerent, & illuſionibus dæmonum à tramite Juſtitiæ ad innocentum & innoxiorum condemnationem mirum quantum deflecterent. Exinde tamen minimè negaverim, poſſe Judici juſtam ſuboriri ſuſpicionem contra talium ædium incolas, ad eos ſecretò obſervandos & notandos; Si nimirum tale phaſma appareat ſolitò ſæpius & quaſi ad certas ædes ordinariè, inuſitatò tempore, quò natura non operatur meteora, & præter ea concurrant alia indicia. *vid. de his Remig. in ſua dæmonolatr.*

3tium Draco volans.

Duplex Draconum genus. Naturale.

Præternaturale.

Incertum indicium ex dracone oritur.

Draco ſæpius apparens ſuſpicionem gignit contra inhabitatores.

Exempel. draconis lodices furantis.

nolatr. L. 1. c. 4. & Keckerm. in Physic. L. 6. c. 4. Ubi exemplum affert de anno 1603. Quod lodices soli expositæ zur Ohr in pagô quôdam Dantiscanô sub meridiem à dracone sint sublatæ. Ubi & signum ponit, quod sagæ loco eô collocent, quô se in domum vult immittere, nempe lac modicè calefactum, & formulam adjuratoriam, quam nescio an proferam, proferam tamen cùm nihil impietatis redoleat.

Ich beschwere dich Alff/ Alff/
Der du Augen hast wie ein Kalff/
Einen Rücken wie ein Teigtrog/
Weise mir deines Herrn Hoff/ etc.

4tum Prob. Sagarũ per aquam frigidam.

(4.) Inter minus urgentia indicia numerari & hoc solet à DD. Proba Sagarum per aquam frigidam, quàm, cùm à *Godelmanno Lib. 3. cap. 4. Delr. disquis. Mag. Lib. 4. c. 4. quæst. 5. sect. 1. 2. 3. & ex his Herm. Gœhausen. in proces. contra Sag. Quæst. 1. per tot* & aliis satis exprofessô discussam invenerim, nolo hic prolixus esse. Ne tamen penitus quid istius ignoretur, modum saltim imponendi in aquam frigidam, & usum istius impositionis proponam. Modus imponendi observatur talis. Quando fœminæ famâ vel aliarum depositione suspectæ habitæ extra urbem deducebantur, & in aquam frigidam transversè leniter per carnifices imponebantur, ita, ut dextræ manus pollex, siniſtri pedis magno digito, siniſtræ verò manus pollex, dextri pedis magno dignito esset funiculo alligatus. Atque si hôc constrictæ modô non submergebantur, sed anseris aut anatis more supernatabant, pro sagis habebantur, & ex hoc indicio tormentis de suo maleficio interrogabantur: Si verò sub aquam inferantur sagæ, insontes judicari & dimitti solebant; Causam verò levitatis Sagarum ex mente Scribonii *in philolog. de natura Sagar.* relativè non approbativè reddit Magnificus Dn9. Præses, Præceptor meus æternùm colendus *in notis privatim mihi cum aliis communicatis, ad Magnifici Dni. D. Strauchii Dissertat. Justin. Diss. 29. th. 24. ad verb. aquam frigidam*, hanc (1.) Quia putant vi & energiâ satanica sagarum corporis induci levitatem, sublatâ gravitate, & diabolum necessarium supernatationi afflare aërem, spirituque suô, ne-

Modus in aquam imponendæ qualis?

Causæ levitatis Sagarum.

ne peſſum eant, ſuſtinere (2.) Eſſe antipatiam inter ſagas & aquam; quæ idcircò ſagas intra ſuum alveum recipere recuſat, quod aquâ Sacri Baptismatis turpiter ſint abuſæ. Quas rationes, *ad quas Reſpondet Godelm. & Delr. dict. loc.* tanquam phyſicorum præceptis & ſcripturæ ſacræ hâc de re tacenti, contrarias, meritò rejicimus. *Uſum* hujus probæ quod attinet, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, illam tanquam rem illicitam, eſſe penitus condemnandam & rejiciendam; (1.) Quia diabolicâ invidiâ & inſtinctu eſt inventa & excogitata (2.) Quod tentetur Deus, & ſic committatur peccatum mortale *per tex. in cap. monomachiam. 2. q. 4. & c. fin. de purg. vulg.* (3.) Quod multi innocentes hâc ratione condemnationem incurrere queant. (4.) Quod neque in Dei, neque in Cæſaris Codice hæc proba approbata inveniatur *Damhouder. in prax. Cr. cap. 43. n. 2. Joh. Borch. de feud. c. 7. n. 52.* & alii, quorum fundamentis innixæ omnes facultates Juridicæ in Academiis Germaniæ hanc probam rejiciunt & improbaut, *de quo teſtatur Godelm. dict. loc.* Nec in Germaniâ ſolùm in deſuetudinem abiit hæc proba, ſed & in Italiâ, Hiſpaniâ, in Franciâ & Belgiô vel nulli omninò, vel admodùm pauci Judicum, ut eorum ratio habenda non ſit, eâ utuntur; quod teſtatum facit *Delr. Diſq. Mag. L. 4. c. 4. q. 5. ſect. 2. §. inprimis quod.* Proinde cùm in totâ fermè Europâ, per aquam frigidam ſagas probandi mos exoleverit; Non poteſt non fieri, quin ſolus Weſtphaliæ cirulus, eô ſolô nomine, contumaciæ & ſuperſtitionis notam incurrat. Quod inveteratæ conſuetudini, den Alten Herkommen nach) (*uti eam in literis vocat inſigne Doctus quidam Vir VVeſtphaliæ nomine Civitatis N. ad ſæpius laudatum Godelmannum Profeſſorem in Academiâ Roſarum celebrem, datis, & operibus ejus in rtis*) obſtinatô animô nimiùm quantum indulgeat, nec ab eâ nquàm irrationabili dimoveri queat; Cùm tamen conſuetuini, niſi prius ad rationis ſtateram ſit expenſa, locum dare udex non debeat, *per l. expreſ. 39. ff. d LL. ubi: Quod non ratione troductum, ſed errore primum, deinde conſvetudine obtendum eſt, alias ſimilibus non obtinet.* Sed Judices Weſtphaliæ hodieum fœminas, vel voluntariè ad quam provocantes, vel invis veneficii criminis ſuſpectas aquæ tribus vicibus imponunt,

Hæc proba rejicienda propter rationes quatuor.

In omnibus Facultatibus Juridicis Germaniâ hæc proba rejicitur, ſed etiam in exteris regionibus.

Sola VVeſtphalia Superſtitioſè huic probæ adhæreſcit.

in impositas & supernatantes concurrentibus aliis indiciis gravioribus pœnam ordinariam ignis, vel extraordinariam relegationis perpetuæ, si rea nullis præter supernatationem sit grata indiciis, statuunt. Quod ex multis Westphalicæ nationis Juris studiosis, amicis meis cognovi, qui aliquot vicibus ante tres vel quatuor annos ejusmodi aquæ probationibus, tam in viris quàm fœminis tentatis, ipsimet spectatores non absque risu interfuerunt. Ast ô triste & lachrymis potius, quàm cachinnô dignum spectaculum! quô Judices diabolicis superstitionibus, non secus ac ipsi magi, dementati fœminis non magis parcunt, quàm lupis, sed in innocentes juxta ac nocentes crudeliter sæviunt. Neque enim istæ probationes proficiscuntur â virtute divinâ & causâ supernaturali i. e. ipsô Deô, quicquid etiam contendat Johan. Albrecht *in Disp. polit. de formâ Judicior. in Rep. rect. instituendâ Thes.* 291. 292. & 293. habita sub præsidio Conringii super æthera noti, *ubi acriter hanc probationẽ defendit.* Ipsi Westphaliæ Judices fatentur, ex istô sagas lavandi modô non desumi indiciũ, sed saltem ut eò melius ad confessionem adigantur Reæ, uti constat ex supra allegatis literis in verb. Wie wohl meine Herren des Raths ausgebeuten baden oder schwemmen kein indicium genommen/allein daß die schuldigen etwas leichter zur Bekändnüß bewogen. Quasi non alia media extorquendi confessionem supereſſent, ut proinde confugiendum sit ad oraculum dæmonis. Fieri enim facilè posset, ut diabolus criminis hujus certissimè ream submergeret, innocentem verò sublevaret, ut Judices hac ratione ab inquisitione & condemnatione absterreret, ac ita in condemnando & absolvendo non sine enormi peccatô ludificaret. Cujusmodi exemplum ipsimet vidit & recenset Godelman, *L. 3. c. 6. n. 35. cum*, inquiens, *anno.* 1588. *cum in Borussia in Livoniam proficiscerer, invitavit me in viâ quidam prædives & opulentus Nobilis in suam arcem. Hic cùm veneficam sequente die, propter enormia delicta, quæ suâ magicâ & diabolicâ arte commiserat, jam ad ignem condemnasset. Quæsivi num illam quoque prius in aquam more solitô conjecissent, ad experiendum utrum rea esset, eô negante, monui, ut id tentaret, (volui enim eâ ratione inquirere, num hæc exploratio per aquam frigidam vera esset, nec*

Exempla recentiora probæ in VVestphalia tentatæ.

Hæc proba nõ proficiscitur à virtute divinâ contra Joh. Albrecht.

VVestphali ex hac proba non desumunt indicium.

Experimentũ Godelm. hujus probæ falsæ repertæ.

ne.) Sed ecce postquam venefica à carnifice in aquam gelidam tolligatis artubus fuit projecta, statim submersa fuit. Is posteà, pergens, *ad me scripsit, se cum sex veneficis captivis idem tentasse, & omnes fuisse submersas, & in fine literarum scribit: Jam demum tibi credo, signum hoc falsum, diabolicum & furiosum esse, & magistratum incautum decipere posse*, hæc Godelm.

§. IX. Ast ne tuum B. L. per plures indiciorum ambages in legendo studium fatigem, TORTURAM ipsam jam aggredior; Quæ, ut ab initiô moneam, nihil aliud est, quàm corporis cruciatus, ad eruendam veritatem repertus *Gilhaus. Arb. Cr. cap. 6. part. 7. n. 2.* Torturæ gradus vulgò numerantur quinque, qui tamen ad tres de Jure Sax. commodè referri possunt. *Primus* gradus torturæ est *Territio*, quæ vel est *verbalis*, scil. ut carnifici liceat inquisito vestimenta detrahere, denudare, ad scalam deducere, & ad torturam instrumenta pertinentia ostendere: Vel *realis*, quando præter minas carnifex leviuscula tormenta, qualia sunt forcipes digitorum, die Daumenstöcke/adhibet. *Secundus* gradus torturæ est, & denotatur per verba Scabinatui Jenens. in concipiendis sententiis solemnia: Ziemlicher Massen oder Weise/ quando Carnifici scalæ subjicere inquisitum cum violentâ expansione membrorum licet. Ubi in hoc gradu loco scalæ peculiaris modus torquendi sagas est, daß sie in den Bock gespannet werden. *Magn. Dn. D. Bechman. in Com. ad ff. Tit. de quæst. n. 10. Obs. pract. 3. Tertius* torturæ gradus est, quando locô verborum ziemlicher Massen in sententiis hæc reperiuntur verba: So mag der Scharffrichter den Inquisiten nebenst andern vorgemeldeten Peinligkeiten/auch mit dem Feuer als angezündeten Schwessel und Pech auch andern gewöhnlichen scharffen Mitteln / angreiffen; ita tamen ne inquisitus damnum vitæ sentiat. *Sic Responsum in Scab. Jenens. m. Jan. anno 1656. fuisse refert Magn. Dn. D. Bechman dict. loc.*

Tortura definitio.

Tortura gradus, Primus.

Secundus.

Tertius.

Ex his tribus torturæ gradibus permittitur arbitrio æqui, boni ac prudentis Judicis, quem eligere conveniat, juxta conditionem & qualitatem suspicionis ac præsumtionis personæ, plus ut minus, frequenter aut rarò, durius seu diutius, pro uti vult *Const. Carol. V. art 58.* cui concordat *l. 7. ff. de quæstion.* ubi Ulpianus: *Quæstionis modum magis est Judices arbitrari oportere, itaq; quæstio-*

Judex ex his gradibus pro conditione rerum eligat quem velit.

quæstionem habere oportet, ut salvus sit reus vel innocentiæ vel supplicio. Ac licet primus & secundus torturæ gradus in aliis criminibus sit frequentissimus, & in forô Saxon. maximè observetur; rarius verò tertius adjudicetur: In Atrocissimis tamen & exceptis criminibus, inter quæ ob suam atrocitatem & nostrum sagarum crimen rectè connumeratur, ad tertium quoque torturæ gradum judex descendere non modo non prohibetur: *B. Dn. Hahn. in Obs. ad Par. V Vesenb. ad ff. Tit. de quæst. n. 2. infin.* sed potius per *l. 8. ff. de quæstion.* jubetur his verbis. *Cùm capitalia & atrociora maleficia non aliter explorari & investigari possunt, quàm per Reorum quæstiones: Efficaciissimas eas esse ad requirendam veritatem existimo & habendas censeo.* Interim tamen, quamvis in his atrocioribus & exceptis criminibus, acerrima & major quàm in aliis tortura sit habenda; *Clarus quæst. 64. n. 32. Farin. quæst. 38. n. 34. & seq. & Alii.* Non tamen omni humanitatis sepositâ ratione Judicem nova & exquisitissima tormenta reas cruciandi excogitare decet; sed & in his exceptis & atrocioribus delictis in torquendo ipsi servandus est stylus & loci consuetudo, quam excedere facilè non debet, prout multoties dixere scriptores *Clar. Innocent. Mascard. Farin. & quos citat Gæhaus. in dict. proces. Tit. 3. p. m. 160.* Ubi simul tormentum insomniæ à Delrione *L. 5. Sect. 9. p. m. 737.* tanquam tutissimum, quoad mulieres honestiores approbatum, rejectum volumus, quia reis facile morbos infligit, & insomnium facile ad insaniam reos adigit, unde, quid confiteantur, ipsi nesciunt. Multò minus Judex indiscriminatim Lamiis, ejusdem licet sint mulæ æmulæ, pari rigore torturam decernat, & quasi eundem calceum omni pedi inducere laboret; Sed eam imponat, & ejus gravitatem vel remittat, vel acuat, prout delicti gravitas vel levitas, indiciorum qualitas, num scil. levia aut urgentia sint, an plura vel unicum; Item qualitas personæ torquendæ, an sit robusta, fortis, debilis, delicata, an minor an major, an senex an juvenis, an sana an infirma, an timida an versuta, & similia, effligitare videtur. Quæ omnia, ut eò melius Judex expendere queat elegans monitum Farinacii *Quæst. Cr. 37. n. 145.* ipsis est inculcandum *Quando Judex*, inquientis, *aliquem torquet, debet esse*

In hoc crimine etiam ad tertium gradum devenire potest Judex.

Judex Solita tormenta excedere non debet.

Tormentum insomniæ rejicitur.

Tortura cum discrimine est adhibenda.

Judex adsistere torturæ debet.

præsens

præsens tortura, & benè semper videre reum, quomodo se habeat, & an deficiat, nec ne, & si videt, illum deficientem, debet statim mandare illum deponi, alias si hanc non adhibuerit diligentiam, positôque reò in turturâ, vel abeat, vel ad alias stantias divertendo, ibidem edat forsan, & bibat, ac quòd pejus est, ludat, prout vidi plures judices hæc & similia facere reum relinquendo, vel solum, vel manibus custodum, ut plurimum crudelium & indiscretorum, tortusque ob id deficiens in tormentis moriatur: Non crederem hunc judicem immunem â pœnâ saltem extraordinariâ prô modô culpæ, ex eô, quod non assistit turturæ, prout assistere debet.

Personæ torquendæ.

§. X. Hæc in genere de turturâ erant præmonenda. De personis, quæ in hôc veneficii crimine possint torqueri, nunc videamus. Me non monente notum erit, personas quasdam (1) ob defectum Judicii & intellectus (2) ob debilitatem corporis (3) ob dignitatem, in aliis delictis non exceptis â turturâ exemtas & immunes esse. In exceptis autem delictis, quale & nostrum est, delinquentes in paucis admodum casibus immunitate gaudent. Nam (1) Impuberes, si sunt minores XIV annis, licet torqueri nequeant, *per l. de minore 10. in pr. ff. de quæst. & l. 1. §. impuber. 33. ff. ad SCtum Silan.* attamen cùm & in hoc crimine doli capaces sint *l. 4. §. 26. ff. de doli mal. & met. except. l. 111. de R. J. & aliis tex.* terreri possunt, etiam territione reali, appositis nim. forcipibus ad constringendos pollices, possunt denudari, ligari & ad eculeum duci, non tamen imponi *Carpz. Pr. Cr. P. 3. Q. 118. n. 14.* Si verò sunt minores XXV. annis, ingressi saltem XIV annum torquendi sunt, sed mitius, quàm majores, idque ob rationem, quia in criminibus ætatis suffragiô minores non juvantur *l. 1. l. 2. C. si adverſ. delict. & l. si ex causa. 9. §. 2. ff. de minorib.* (2) Ob debilitatem corporis in hôc crimine non sunt immunes senes, viri & fœminæ, modò non ætate defecti sint, & maximam virium corporis ac mentis partem propter senectutem amiserint. Quô casu nihilominus ad investigandam veritatem, ad exemplum impuberum terreri possunt, adhibitis quandoque instrumentis ad constringendos pollices vulgo Daumenstöcke. Neque tutum esset ait *Carpz. dict. loc. n. 39.* generaliter affirmare, à tormentis excusari senes, cùm hâc ratione sæpènumerò versuti

In Crim. veneficii à turturâ quomodo sunt immunes & quomodo non.

1. *Impuberes.*

2. *Senes.*

senes, præsertim mulieres veneficæ impunitatem assequerentur contra *l.* 51. *§.* 1. *vers. quod si quis. ff. ad L. Aquil.* Idem & de cæteris morbosis & debilibus dicendum, qui moderatè torqueri aut terreri possunt, modò absit mortis omne periculum. Semper autem in hoc crimine excepto à torturâ, imò & territione excipiendæ sunt fœminæ prægnantes, propter favorem partus, per *expressam l.* 3. *ff. de Pœn.* dummodo per obstetrices & medicos juratos de prægnantiâ constet. Atque tunc differenda tortura, donec pepererint, atque post partum 40. dies præterierint, (3) Ob dignitatem tandem nullus planè in hoc excepto crimine respectus habetur, sed in illo omnes privilegio suo, quo aliàs gaudent, spoliantur, atque Generosi, Nobiles, Doctores, Licentiati, milites, Clerici, & Senatores indistinctim torturæ subjici possunt, *per l.* 7. *C. de Malef. & Math. Carpz. Pr. Cr. P.* 3. *L.* 118. *n.* 87. Quod si tamen contingit, quod obiter monendum, ut Doctor sit torquendus, prius titulus Doctoralis ei adimitur, ab eo, qui gradum contulit scil. Decano. Idem etiam de Pastore dicendum, qui antequàm torquendus vel puniendus venit, exuitur ipsi vestitus pastoralis Die Hartzkappe in consistoriis *Magnificus Dn. Præses in discursu suo aureo super Dissert. Magnifici Dn. D. Strauchii Diss. ult. Th.* 26. *p. m.* 452. Quæcunque autem de Viris diximus, illud etiam procul dubio obtinet in uxoribus eorum, quæ sese in hoc nefando veneficii crimine à torturâ propter dignitatem maritorum liberare non possunt. Ordinem inter complices personas torquendas servandum quod concernit, Judex ab eâ personâ incipiat, quæ timidior esse creditur, vel teneræ ætatis videtur, ex quâ facillime vetitas exsculpi potest *per l.* 1. §. 2. *ff. de Quæstion.* Sic si mater & filia in hoc crimine concurrant, priori loco filia ad quæstionem est trahenda in conspectu matris, quia præsumitur mater videns filiam cruciari, ultrò veritatem dictura, *vid. Carpz. Pr. Cr.* P. 3. *Q.* 24. *n.* 13. *& aliquot. seqq.*

Fœminæ prægnantes à torturâ immunes.

Ob dignitatem in hôc crimine à torturâ excusatur nemo.

Nec fœminæ ob dignitatem maritorum.

Filia ante matrem est torquenda.

§. XI. Tempus quando institui debet tortura, ab arbitrio judicis dependet, qui etiam die feriato cultuique divino destinato, quod peculiare est in hoc crimine, eam exequi non prohibetur *per l. pen.* C. *de feriis.* Uti communiter in aliis delictis, ita & in hoc Reus vel Rea, quando comedit, non debet torque-

ri,

ri, sed Judex expectare tenetur per octo, quinque aut sex horas, quibus digestio perficitur, & post lapsum harum stomachus aliam cœnam requirit, ne scil. vertatur torquendô stomachus & vomendô patiatur, & sic non possit examinari. Hinc plerumque tempore nocturnô aut matutinô, tum, quod concoctiô jam ab officiô desiit, tum etiam ne forsan per ejulationem Reatum aliis molestia creetur, tortura institui consuevit. *Carpz. dict. loc.* Modus quoque in torturâ adhibendus est, ne per integram noctem Reæ cruciatibus lacerentur, sed & in atrocissimis his delictis ultra unius horæ aut paulò amplius spacium, in chordâ teneri non debent, uti cautum est per Pontif. Pauli III. Bullam LVIII. *Delr. Lib. 5. Sect. I. p. m. 737. & in Appendic. 2. Quæst. 27. p. m. 886.*

Non tamen statim post cœnam.

Tempore nocturnô torquentur.

Quamdiu torqueri debent veneficæ.

§. XII. Judex ante actum torturæ, qui totus ab ejus arbitriô & moderatione dependet, ita tamen, ut semper à leviori initium fiat, qui deinde Carnifici instrumenta & modum torquendi pro qualitate delicti ac personæ præscribit; *Primò*, diligenter Ream iterum inducat verbis ac rationibus, spe dubiâ additâ, quod forte non damnetur ad mortem, si sponte confiteatur, ne veritatem celet, sed Deo det gloriam. Nam ejusmodi admonitiones sæpe disponere solent Ream ad veritatem eruendam, ut sponte in terram spuentes, quasi in faciem diaboli dicant, faciam quod justum erit, & consequenter crimina sua confiteantur. *Delr. Lib. 5. Sect. 9. Secundò*, cùm sæpe compertum sit, Lamias sortem silentii, vel in crinibus, vel in cute absconditam habere, quæ artificiô diaboli ex corde infantis nondum baptizati violenterque necati componi creditur, cui tanta vis ineat, ut veneficæ iis utentes, omnis sensus experte s in torturâ reddantur, planè impassibiles fiant, nihilque fateri possint, sed sæpies in tormentis ridere, aut in utramvis aurem dormire deprehendantur. *Bodin. de Mag. dæmon. Lib. 4. cap. 1. Godelm. L. 3. cap. 10. Delr. dict. loc.* Rectè suadent Inquisitores, in hôc crimine Reis capillos capitis & barbæ, imò & per totum corpus, etiam partibus secretioribus; Si fœminæ sint à fœminis, si viri à viris abradi debere, non eâ intentione, ut per rasuram robur corporis, & animi fortitudo pereat exemplô Simsonis, quod esset magicum & superstitiosum; Sed eô animô, ut per rasuram maleficium taciturnitatis, foraminibus corporis insertum & latens, removeatur. Quod etiam fecit Cu-

Ante torturæ actum Judex.

Iterum Ream de veritate interpellet.

Propter maleficium taciturnitatis.

Lamiarum capilli sunt abradendi in totô corpore.

40. saga abrasis pilis confessa sunt.

manus Inquisitor, qui anno 1485. unam & quadraginta sagas incinerari curavit, quæ omnes abrasis pilis, mutatis vestibus, absq; ullâ quæstione violentâ, confessæ fuerunt *Delr. dict. loc.* Quantum quoque prosit ista rasura, inter alia, exemplô Veneficæ Brugensis lectu dignissimô, sed propter prolixitatem nunc à me omittendô, cujus ipse testis oculatus & Judex fuit, confirmat Jodoc. Damhouderius *in Prax. Rer. Cr. cap. 37. n. 21.* Ubi inter radendum reperta fuit pergamena locis mulieribus secretioribus inserta, cui inscripta fuerunt aliquot peregrina vocabula dæmonum, crucibus aliquot inter se distincta. *Tertio* observet Judex, cum & stygia cohors, diabolô inspirante, dicta scripturæ S. tupiter ad dolores, ut putant, avertendos, non sine blasphemia abutantur; Quorum quædam inserere, non ut impietatis cuiquam auctor sim, sed ut Judici hæc ignoranti impietates providendi ansam præbeam, religioni mihi non duco. Godelman. *de Mag. & Veneficis L. 3. cap. 10. n. 39.* dicit solere Reos reasve pronunciare verba *Psalm 44. Eructavit cor meum verbum bonum, veritatem nunqnam dicam Regi.* Item *Luc. 4. Jesus autem transiens per medium illorum ibat, os non comminuetis ex eô* Exempla recenset non pauca Reorum, qui horum dictorum ope dolores fugare conati fuerunt Wierus *de præstig. dæmon. Lib. 5. cap. 12. p. m. 546.* Hipp. de Marsil. *in Pr. Cr. §. Nunc videndum n. 25. sub fin.* auctor est, solere reos reasve maximè dum ligantur submissâ voce verba Passionis Dni Nostri Jesu Ghristi recitare hæc, quæ incipiunt ibi: *Quem quæritis Jesum Nazarenum: Si ergo me quæritis sinite hos abire:* & sequentia usque ad verba: *inclinatô capite emisit spiritum.* atque his dictis pronuciatis dormire solere veneficas in torturâ, & nihil sentire. Quidam etiam ne dolores sentiant solent pronunciare hos versus:

Propter metũ recitationis Script: S. dictorum.

(Dicta Sacr. S. quænam?)

Imparibus meritis tria pendent corpora ramis,
Dismas & Gestas in mediô est divina potestas.
Dismas damnatur, Gestas ad astra levatur.

Judex subinde Reas aliquid interrogare debet.

His superstitionibus ut Judices, licet non nesciant verbis non inesse tantam vim, obvient, hanc cautelam tradit idem Hipp. de Mars. *dict. loc.* ut, si suspicio est, reas talia verba submissâ voce precari, dum ad torturam ligantur, earum verba interrumpant subinde interrogandô eas de aliquô. *Quartum* est, quod ante tortu-

torturam obſervari meretur: Ut ipſi quoque Judices à ſuperſtitionibus, quantum poſſunt, caveant, neve cum viderint, veneficam propter ſortem ſilentii fruſtra torqueri, ad dicta ſcripturæ itidem confugiant, atque ad eruendam veritatem pronuntient verba hæc: *Dominus labia mea aperiat, & os meum annunciabit veritatem.* Item: *Eructavit cor meum verbum bonum, dicam ego cuncta opera mea Regi.* Item *confundatur nequitia peccatoris. perdas omnes, qui loquuntur mendacium.* Quæ dicta, inter remedia eliciendi veritatem à tortô licita, ſatis ſuperſtitiosè enumerantur à Paul. Ghirlandô *in tract. de Sortileg. Q. 4. n. 14.* pari modo mihi ſuſpecta videntur verba illa certa, quæ jactat. Hipp. de Marſiliis *in Pract. Cr. §. nunc videndum. n. 22. in fin.* per quæ in aurem rei pronunciata rumpunt omnes incantationes, & verum fateri coguntur, quoniam illa ipſa reticet, & tamen gloriatur, ſe per ea in examinandis reis pluries conſecutum fuiſſe honorem.

Judices contrariis dictis ſcripturæ ad ſortem ſilentii eximendam, non utantur.

Hipp. de Marſ. certa verba ſuſpecta.

§. XIII. In ipsô torturæ actu, ſed remiſsô, prouti vult. *Const. Cr. art. 58.* alias enim, niſi remittatur tortura, confeſſioni fides non eſt habenda, *Carpz. Pr. Cr. P. 3. Q. 124. n. 28.* cardo officii Judicis in eô vertitur, ut Ream interroget & examinet diſtinctè ad articulos inquiſitionales, (*de quibus concipiendis conſuli poſſunt Doctores à me §. 2. huj. cap. alleg.*) & quidem primùm principales, qui continent delictum ipſum; poſtmodùm, ſi delictum fuerit confeſſum, etiam circumſtantias & qualitates delicti perpetratas quærat ex eô, quod expreſsè vult *Conſt. Cr. Car. V. art. 52. in verb.* Bekennet jemand Zauberey/ſoll man nach den Urſachen und Umbſtänden/als obſtehet/fragen/und das mehr/womit/wie und wann die Zauberey beſchehen/mit was Worten und Wercken. So dann die gefragte Perſohn anzeiget/daß ſie etwas eingegraben/oder behalten hätt/daß zu ſolcher Zauberey dienſtlich ſeyn ſolt/ſoll man darnach ſtechen/ob man ſolches fünden köndt. Were aber ſolches mit andern Dingen durch Wort und Werck gethan, ſoll man dieſelben auch ermeſſen/ob ſie Zauberey auff ihnen tragen. So ſoll auch zu fragen ſeyn/von weme ſie ſolche Zauberey gelernet/und wie ſie daran komen ſey/ob ſie auch ſolche Zauberey gegen mehr Perſohnen gebraucht/und gegen wem/was Schadens auch damit geſchehen ſey. Non ſufficit autem de circumſtantiis interrogare veneficam, ſed inquire-

In ipsô torturæ actu Rea examinari non debet,

de circumſtantiis omnibus.

Inquirere debet judex, an

vera sint circumstantiæ.

re diligenter debet Judex, utrum vera sint, quæ in torturâ dixit, exempl. gr. Si venefica fatetur, quod homines & jumenta suâ magicâ arte interfecerit, Judex diligenter inquirere, & eò loci, ubi delictum commissum mittere debet, utrum verum sit. Cùm vel unica circumstantia Ream privet vitâ, aut mortis pœnâ liberet *per dict. Const. Cr. art.* 54. Quod si verò falsa deprehendatur in circumstantiis crimini adjectis, rursus potest torqueri, cùm ex mendaciô & falsô denuò suspecta reddatur *l. unius.* 18. §. *testes* 3. *ff. de Quæstion. Const. Crim. art.* 55. ibi solche Unwarheit soll man den Gefangenen fürhalten/ ihm mit ernstlichen Worten darüm straffen/und mag ihm als dann mit peinlicher Frage auch zum andern mahl angreiffen/damit er die angezeigten Umstände recht und mit der Warheit anzeige. Atque hæc omnia, quæ Rea in torturâ remissâ confitetur, cum qualitate & quantitate tormentorum adhibitorum, Notarius vel ejus. locô Actuarius Judicii consignare, & cum omnibus circumstantiis propriisque verbis, wie sie ihr aus dem Munde fallen registrare debet. Idque propterea, ut aut Ream confessam, post quietem per unum diem & noctem concessam, rursus extra torturam confessionem in locô Judicii ratificantem tutò condemnare, aut diffessam & ex justâ causâ revocantem confessionem absolvere queat. *Carpz. Pr. Cr. P.* 3. *Q.* 124. *n.* 65.

Confessio registrari debet.

Repetitio torturæ quando fieri debet.

§. XIV. Quod si Venefica confessionem in hâc primâ torturâ factam revocet, seu id quod semel confessa est, posteà rursus negaverit, repeti potest tortura per generaliter loquentes *L.* 16. *&* 18. §. 1. *ff. de Quæstion.* Fieri autem repetitio duobus aut ad summùm tribus diebus torturæ interjectis, quô terror & dolor præcedens resideat, & novus metus formidabilior efficiatur, ex variis causis in hôc maximè Veneficii crimine solet. *Prima* causa, cur ea, quæ jam torta iterum torturæ sit subjicienda est, quando nova urgentia diversa, & prioribus evidentiora contra ream post torturam emergunt indicia. *Secunda* causa est, quando priores torturæ aut insufficientes, aut incompletæ fuerunt, nec debita instrumenta in eô torquendô sunt applicata, vel propter morbum supervenientem, vel quod viderit Judex, quod propter indurationem aut fortem silentii parùm vel nihil sit profecturus. Quô casu à præsentis actu torturæ cessare,

Causæ cur repetendæ torturæ.

Prima causa sunt Nova indicia.

Secunda In sufficientia tormentur.

(ad

(ad acta tamen notando, quod animô torturam repetendi jam desistat (ac interjectis aliquot diebus illum continuare potest. Nam docet *Delrio Lib. 5. in Append. 2. quæst. 29. in f.* indurationem istam, sive naturalis sit, seu arte dæmonis *ut supra indicavi* procurata, exindeque uatam taciturnitatem esse temporalem & non perpetuam; quia mutatur ex causis naturalibus, tam extrinsecis quam intrinsecis, ut homo modò velit tacere, modò nolit, modò facilius possit, modò difficilius se contineat. Dæmonem quoque non semper strigibus adsistere, sed aliquando deserere, vel sponte suâ, vel Dei jussu. Inde etiam fieri, ut Judex meritò speret eam, quæ tunc indurata tacet, aliô tempore cuncta prolaturam. *hæc Delr.* Et potest Judex hôc casu repetere torturam etiam nullis aliis indiciis supervenientibus *Menoch. Arb. Jud. L. cas. 273. n. 4.* *Maleficium taciturnitatis est temporale non perpetuũ.*

Tertia causa repetitionis torturæ anteâ planè peractæ est, quando Rea complices, socias & participes veneficii, absque quibus hoc crimen rarò aut nunquam committitur, ut supra dixi, nominare atque indicare recusat. Atque hæc causa complices nempe rescisendi, tanti ponderis est, ut Reus vel Rea jam confessa & convicta, vel semel sufficienter torta; Licet alias confessi & convicti torturæ non subjici soleant, cùm metus sit, ne jam confessa crimina in torturâ negandô purgent, prouti fert natura torturæ, teste *Hipp. de Marsil. in Prax. Cr. §. nunc. videndum. n. 26.* & ita fiscô Jus suum intervertatur; Adhuc torturæ subjugari queat, circa præjudicium fisci, modo Judex ab initio protestetur, se non eo fine intendere Ream torquere, ut eam interroget super principali delicto, nç super iis, de quibus Rea est confessa & convicta, & sic sine præjudicio confessatorum & probatorum, sed tantùm ut veritatem rescisçat, vel de aliis & separatis criminibus vel de sociis & complicibus aut receptatoribus. Hâc enim protestatione adhibitâ, licet vel centies principale delictum, pro quo erat convictus, per torturam negando elidat, reum tamen reamve convictam punitioni ordinariæ neutiquam eximit. Atque hæc est communis Curiarum & Judiciorum praxis, quam laudant *Gœhaus. in proces. contra Sax. Tit. 4. litt. L. & in Not. litt. F. Delr. Lib. 5. Sect. 9.* *Tertia causa est ut complices veneficii detegantur.*

Judex protestari debet de principali delictô non interrogando.

Quartum repetitionis torturæ causam præbet, quando Rea confessionem in

Quarta est confessionis factæ injudicii locô negatio.

in primâ quæstione & torturâ editam, ducta ad banchum Juris (quod ajunt) ratificare recusat, sed & planè negat, revocat, crimenque totum inficiatur, dicens, se dolore tormentorum ad falsa proferenda fuisse adactam, nec tamen probabiliter falsitatem confessionis probans; *quod exigit Const. Cr. art. 57.* Tunc novis non supervenientibus indiciis, potest de novô torturæ subdi, ut in confessione perseveret, cùm ex hâc ipsâ varietate & inconstantiâ indicium ad torturam locuples suboriatur. Alias enim, *uti reddit rationem elegantem Hipp. de Marsl. in Pr. Cr. §. quoniam n. 4. in med.* nisi Reus, nolens ratificare suam confessionem, posset ad id cogi mediô torturæ, rarò vel nunquam Rei punirentur, quia fatui essent, si ratificarent, postquàm scirent, non ratficandô salvos fieri, & sic furca staret in viduitate & delicta manerent impunita. Atque una ex his quatuor enumeratis causis, si contra Ream militat, ante omnia Judex æstimet, & videat an Rea reiterata tormenta sustinere valeat *l. 18. §. 1. ff. de quæstion.* & si deprehenderit non satis robustam ream, ut corpus in tormentis perdurare possit, quia persona adeò debilis sit, ut vel enormiter lædi, vel mori in tormentis possit, à repetitione, etiamsi nova indicia emerserint, abstineat, & locô torturæ atrocis, potest ream vel leniter torqueri, vel saltim terreri jubere. Secundâ igitur vice torta saga, si in negatione perstiterit nec indicia nova, ob quæ denuò decerni possit tortura, sufficientia supervenerint, quoniam primam torturam & confessionem per secundam perpessam purgavit, non potest tertiâ vice torqueri, sed ex præsumtionibus adversus tortam nihilominus in residuô manentibus, relegatio propter scandalum vitandum Rea dictatur. *Carpz. Pr. Cr. P. 3. Q. 125. n. 78.* Ubi Rsô Scabb. Lipsius hanc firmat sententiam hisce formalibus: So hat wegen der dritten Tortur / weil die vorigen indicia in der ander weit außgestandenen scharffen Frage purgiret worden seyn / nichts beständiges erkand werden mögen. Sie wird aber wohl gestalten Sachen nach / über die zum andern mahl erlittene Tortur / weil gleichwohl vermuthlich / daß es Ihr der Bettel vom Teuffel muß angethan seyn worden / daß durch die Marter und Pein von Ihr nunmehr zum andernmahl nichts hat bracht werden können / und damit man

Repetitionis torturæ utilitas.

In repetitione ad corpus torquendæ maximè respiciendum.

Saga secundâ vice torta absq; aliis indiciis non potest tertiò torqueri.

sed propter scandalum relegatur,

Ihr

Ihr aus diesen Landen loß werde/ und die Leute zu Gillenberg für sie weiter sich nichts zu befahren/ des Landes ewig billich verweisen B. R. W.

§. XV. Quod si verò contra Sagam, quæ secundâ vice torta & ad banchum Juris ducta, confessionem factam negavit aut revocavit, urgentissima & nova indicia pugnent, tunc tertiâ vice ad torturam pertrahi potest, quoniam sagarum crimen inter atrocissima delicta refertur, in quibus tertiâ vice torturam repetendi, non verò ultrà, facultatem concessit Illustris. Elector Saxon. D. Augustus *in Const.* 9. cujus ipsissima verba habet *Carpz. Pr. Cr. P.* 3. *Q.* 125. *n.* 34. 35. 36. 37. In hâc tertiâ torturâ, Saga, si sicut in primâ iterum crimen confitetur, & post torturam confessionem legitimô modô ratificat, omninò sententia est executioni mandanda. Si verò saga se nullatenus tormentis vinci patiatur (*sicut sunt, qui, licet non ore proferant, cum illô insigni nebulone Sartore fure, apud Marsil., qui in torturâ fatebatur crimina, sed post eam interrogatus cuncta negabat, sentiunt; melius esse millies torqueri in brachiis quam semel in gulâ, quia multos reperiri licet Chirurgos, qui norunt sua in loca reponere & captare ossa brachiorum, nec unum qui norit reaptare gulam.* Sed aut secundâ vel tertiâ vice sufficienter torta in negatione constanter perseveret, aut in tertiâ torturâ iterum confitetur, sicut in prioribus fecit, sed post eam rursus neget, non potest quartâ vice torqueri, sed est penitus absolvenda, quia cuncta indicia priora purgavit, satiusque est nocentem absolvi, quàm innocentem damnari *l. absentem* 5. *in pr. ff. de Pœn.* quin & torturæ sæpius repetitæ non minor cruciatus est re ipsâ, quàm cujuslibet pœnæ capitalis *VVesenb. in Par. Tit. de Quæstion. n.* 12. *in fin.* Casus tamen sunt, quibus non planè absolvitur Rea, sed extraordinariâ, puta relegationis, pœnâ coercetur: Si nimirum magis præsumtionibus gravata est, aut post tertiam torturam indicia superveniant nova, *Carpz. dict. loc. n.* 73. aut silentium non sit naturale, sed saga diaboli ope indurata fuerit, uti apparet *ex proxim. alleg. Lipf. Rsô.*

In atrocissimis delictis tertia tortura decernitur per Const. Elect. Sax. 9.

Tertiâ vice torta nihil si confitetur saga, absolvenda est.

Casus sunt quib. non planè absolvitur sed relegatur.

§. XVI. Non rarò contingit, quòd Lamiæ in torturâ confessionem factam extra locum torturæ rursus interrogatæ eam

Cùm Lamiæ sæpe in executionis die revocent confessiones,

quidem confirment & ratificent, sed in ipsâ demum sententiæ capitalis executione, aut vor offentlichem gehegten peinlichen Halßgerichte/ad dolosè differendam diem impediendumque executionis processum, confessiones revocent, inficientur, & planè negent. His fraudibus ut occurrant Judices, præsertim si metus revocationis in Reâ sit, eam statim post secundam vel tertiam torturam, in quâ crimen confessa fuit, exactô biduô vel triduô extra locum torturæ ductam præsentibus Scabinis, testibus & Notariô, iterum super confessione factâ, interroget, quam si ratificat, redigitur Reæ confessio à Notariô in formam instrumenti publici, quod tantum operatur, ut Rea posteà in executione confessionem criminis revocare nequeat, aut si de factô revocet, istâ revocatione non attentâ sententia executioni mandetur, & ad supplicium Rea ducatur. Atque secundum hanc sententiam non solùm pronunciare solent Scabini Lipſ. quod testatur *Carpz. Pr. Crim. P. 3. Q. 162. n. 67. & seq.* sed & Nostri Jenenses JCti, quod testatur Magnificus Dn. Præses ad Carpzovii citatum locum (usus enim sum Ejus exemplari, cum aliis libris humanissimè mihi ex suâ refertâ neminique clausâ bibliothecâ communicatis) in margine notando: Illos aliquoties Lipsienses in hac sententiâ esse secutos.

Judex super confessionibus instrumentũ à Notariô confici curet. Effectus instrumenti.

CAPUT IX.
sistens
Pœnas Lamiarum Promeritas.

§. I.

In Lamiam convictam & confessam, sive convessio motu spontaneô, seu motu tormentorum sit facta, nullæ aliæ Judicis sunt partes, nisi ut condemnet, *l. qui sent. 16. C. de Pœn. l. ult. C. de Custod. Reor.* Condemnatio autem consistit in pœnarum inflictione, quæ epilogus est & extremus actus Processus Criminalis. *Jod. Damhouder. in Prax. Cr. cap. 152. in pr.* Nam supra *cap. 1. in quæstione præjudiciali* satis ni fallor contra quosdam lamiarum Patronos me obtinuisse spero, lamias non commiseratio-

Condemnatio est epilogus processus Criminal.

ratione, ſed pœnis etiam duriſſimis dignas eſſe. Quali autem præcipuè pœnâ expianda ſint Lamiarum crimina, prout ea *ſupr. cap. 3. per tot.* à me delineata ſunt, operæ pretium erit, ut paulò inquiramus. Atque ut rem ab ovô, quòd ajunt, incipiamus, varias variarum Jurium pœnas evolventes ex iis maximè uſitatas adhuc hodie in Europâ, noſtro inſtituto applicabimus. *Quid in hoc cap. tractemus*

§. II. Jure *divinô* nulla determinata in lamias eſt conſtituta pœna, ſed in genere capitalis in eas lata eſt ſententia hæc: Præſtigiatricem ne ſinas vivere. *Exod. 22. v. 18.* Niſi velis hùc trahere, uti etiam à Magnis Theologis hùc refertur, præceptum divinum *Levit. 20. v. 27.* ubi Deus præcepit, lapidibus obrui, pœnâ omnium crudeliſſimâ, viros ac mulieres, in quibus eſt ſpiritus pythonicus vel divinationis. *Pœna Sagarum de Jure Divinô eſt Lapidatio.*

§. III. De Jure humanô *Canonicô* tolerabilis certè pœna huic grandi crimini imponitur. Namſi quis non bonô zelô, ſed dolô malô & impiè confecit ſortilegia, tunc ſi Clericus eſt, efficitur infamis, deponitur ab ordine ſacrô, omnibus beneficiis privatur, & intruditur in monaſterium ad perpetuam pœnitentiam agendam *c. ſi quis Epiſcopus. 5. c. 26. quæſt. 5. ibique Gl. Paul. Ghirl. de Sortil. Q. 11. n. 3.* Si verò Laicus eſt, pro primâ vice excommunicatur, & ab Eccleſiâ removetur *c. 26. q. 5. c. ſi quis Epiſcopus. 5. c. aliquanti 6. ſub fin. Ghir. dict. loc. n. 10.* Si verò ſemel monitus adhuc in eôdem propoſito perſeverando iterum commiſit idem delictum, tunc ſi eſt vilis perſona aut ſervus, debet publicè fuſtibus cædi, aut mitrâ vel aliis modis tanquàm infamis dehoneſtari. Si verò dignior eſt perſona, vel relegari, vel perpetuo carceri mancipari debet. *c. contra idolor. 10. c. 26. quæſt. 5. Ghirl. dict. loc. n. 3. & 10.* *De Jure Canon. eſt.* *vel privatio ordinis* *vel excommunicatio* *vel fuſtigatio.* *vel relegatio.* *vel carcer perpetuus.*

§. IV. Jus humanum *Civile* paulò propius ad ſcopum collimat, quamvis non feriat, & veneficia gravius punit, quia jura ipſa multùm abhorrent artem maleficam exercentes tanquam humani generis inimicos, *l. 7. C. de Malef. & Math.* non generalem ſolùm capitalem pœnam in eos ſtatuendo §. *Item L. Corn. de Sicar. 5. J. de P. Jud.* ſed & ſpeciales iis irrogando. Nam (1.) Veneficia, quæ *l. ex Senatus conſulto 13. ff. ad L. Corn. de Sicar. & Venef.* mala ſacrificia appellitat, exercentes viliores & humiliores capite puniebantur, aut beſtiis ſubjiciebantur, *per l. nullus aruſpex* *De Jure Civili veneficia exercentes,* *vel beſtiis objiciebantur,* *vel cruci affigebantur.*

aruſpex. 3. §. 5. *ſub fin.* aut etiam in crucem agebantur, ut habet ex Pauli 5. *ſentient.* 23. §. 9. Gothofredus in not. ad *dict. l.* 13. *ff. ad L. Corn. de Sic. lit. P.* (2.) Magus, vel magicis carminibus adſuetus, qui maleficus vulgò dici ſolet, ſit eculeo deditus, ungulisque ſulcantibus latera perferat pœnas propriò dignas facinore, uti verba finalia ſunt *l. etſi excepr. 7. C. de Maleſ. & Math.* (3.) Magicis utentes artibus feralis peſtis abſumere debet *per l. multi 6. in fin. C. de Maleſ. & Math.* Ubi per feralem peſtem, nonnulli Interpretum dicunt, Imper. Conſtantinum in hâc leg. exaudiendum eſſe de feris beſtiis, quaſi malefici & præſtigatores feris beſtiis ſint objiciendi. Sed nos ſtatuimus cum Dioniſ. Gothofredô *in not. ad dict. l. 6. lit. V.* Godelm. *L. 3. de Mag. & Venef. cap.* 11. *n.* 19. Gœhauſ. *in proceſ. contra Sagas Tit. 12. p. m.* 404. & Delrione *Diſquiſ. Mag. lib. 5. Append.* 1. §. *ult. p. m.* 817. per verba *feralis peſtis* ignis ſupplicium intelligi, quod Magi Diis manibus conſecrarentur: Ut quemadmodum in ferialibus pecudes abſumebantur & ipſa cadavera; ita manibus conſecrarentur, quos in carminibus ſuis invocaſſent. Hinc legitur apud Claſſicos Authores *ferale officium, ferales reliquiæ, feralis veſtis, ignis feralis, lorus feralis, turba feralis.* Nec eſt, quod quis de iſtâ dubitet interpretatione, ſiquidem (4) *l. nullus aruſpex. 3. in mod. C. hoc Tit.* diſponit, quod Venefici, Sagæ, Magi, qui ſub Aruſpicibus comprehenduntur, cum confiſcatione bonorum *concremandi* ſint. Et inſuper vivicomburii pœna aliàs in LL. Rom. non adeò infrequens, ut videre eſt *ex l. un. C. de Nil. aggerib. non ump. l.* 28. §. 12. *ff. de Pœn. l.* 9. *C. ubi cauſæ fiſcal. l. un. C. de mulierib. quæ ſe propr. ſervis junxer. l. un. in f. C. de Rapt. l.* 1. *C. de falſ. monet.* & aliis.

vel eqnuleô torquebantur. vel per feralem peſtem abſumebantur.

Quid per feralem peſtem intelligatur.

vel concremabantur per l. 3. C. hoc Tit.

§. V. Ad hujus legis 3. *C. de Maleſ. & Math.* de vivicomburiô maleficorum conceptæ exemplum hodie generali Europæ conſuetudine, *de quâ teſtatur Delr. Lib. 5 Sect.* 15. §. *quoad ignis pœnam p. m.* 784. abrogatis Jure divinô, Canonicô aliisque Jur. Civil. conſtitutis pœnis, maleficas & ſortilegas artes à dæmone edoctæ ſagæ, lamiæ & aliæ incantrices, quæ pactô expreſsô tacitôve diabolo ſeſe devoverunt, vivæ exuruntur. *Juſt. Meier. in Coll. Argent. T. ff. ad L. Cornel. de Sicar. & Venef. §.* 23. *n.* 8. Idque potiſſimùm propter ſanctionem Criminal. Car. V. *art.* 109 ubi:

Ad exemplũ l. 3. C. d. M. & M. hodie in Europâ comburuntur Sagæ.

So

So jemand den Leuten durch Zauberey Schadrn oder Nachtheil zufüget/ soll man ihm straffen von Leben zum Tode/ und man soll solche Straffe mit den Feuer thun. Wo aber jemand Zauberey gebraucht/ und damit niemand Schaden gethan hätte/ soll sonst gestraffr werden/ nach Gelegenheit der Sache/ darinnen die Urtheiler Raths gebrauchen sollen/ wie von Rath zu suchen hernach geschrieben stehet/ Ubi verba finalia, nach Gelegenheit der Sachen/ mihi non videntur otiosa, sed eum sustinere sensum, ut Judex pro qualitate causæ pœnam irrogare possit. Et verò potissima qualitas ac circumstantia criminis lamiarum est, in quam inquirere Judex posthabitis omnibus tenetur: An veneficæ pactum cum diabolô vel expressum vel tacitum inierint, Deum abjurarint, se diabolo mancipârint, & cum impurô spiritu sodamiam exercuerint; Planè non est ambigendum, quin D. Carolus V. ad has quoque circumstantias respexerit, atque eo casu, quo nim. nullum damnum maleficio datum fuerit, pro quantitate & qualitate facti pœnam irrogari jusserit. Ex quo haut obscurè colligitur: cùm in hoc crimine respectu harum circumstantiarum tanta delicti quantitas, tantæque qualitates plures, quaram singulæ in capitale delictum abeunt, appareant, etiam ex mente ipsius Imperatoris ultimum, ignis nimirum supplicium, non minùs, quàm si damnum aliquod datum fuisset irrogari. *Georg. Schultz. in Synops. Inst. Tit. de Publ. Judic. lit. S. p. m. 709. Petr. Theodor. in Coll. Cr. Disp. 7. th. 6. lit. C. in med.*

De Jure Carolino, eadem ignis pœna obtinet.

Intellectus verborum: nach Gelegenheit der Sachen.

Carol. V. omninò respiciens ad pactum pœnam ignis dictavit.

§. VI. Hujus criminis circumstantiarum pondera rectâ reputantes viâ Juris Sax. Conditores, quosvis incantatores, magos, veneficos veneficasque, etiamsi nemini damnum dederint, in craticulâ igneis flammis concremari sanxerunt. *per tex. Land Recht Lib. 2. art. 13. ib.* Welcher Christen Mann oder Weib ungläubig ist/ oder mit Zauberey umbgehet/ oder mit Vergifftung/ und der überwunden wird/ die soll man auff einer Horden brennen. Quem textum Interpretes Juris Sax. *Constit. Sax. tom. 2. Part. 4. quæst. 7. n. 2. & seqq.* ita accipiunt, ut, si Magi pactum cum diabolô expressum vel tacitum inierint, Deum abjuraverint, venerem cum diabolô exerceurint, tunc indistinctè, sive nocuerunt & damna intulerunt, sive non, igne concremari debeant. Quorum sententiam

Jure Sax. Saga propter pactum cum diab. est concremanda.

ciam est amplexus D. Augustinus Elector Saxon. summi olim juris sui Sax. defensor ac protector, ne forsan controversia amplius de hâc interpretatione moveretur, in Novellis suis *part.* 4. *Const.* 2. saluberrimè sanxit; Daß/ so iemand in Vergessung seines Christlichen Glaubens/ mit den Teuffel Verbündniß auffrichtet/ umbgehet oder zu schaffen hat/ dieselbige Persohn/ ob sie gleich mit Zauberey niemandes Schaden zugefüget/ mit dem Feuer vom Leben zum Tode gericht und gestrafft werden soll. Quod si autem pactum expressum cum diabolô non interceserit, damnum tamen sive magnum sive exiguum datum fuerit mitior pœna, gladii puta, veneficis imponitur in verb. *ejusdem Const.* Da aber ausserhalb solcher Verbündnüssen iemandes mit Zauberey Schaden thut/ derselbe sey groß oder klein/ so soll der Zauberer/ Mann/ oder Weibes Persohn/ mit dem Schwerdt gestraffet werden.

Absque pactô expressô Lamia si damnũ dederit gladiô punitur.

§. VII. Visis variorum Jurium pœnis, ratio ordinis nunc postulat, ut eas, quas usum Germaniæ adhuc hodie tenere diximus, Lamiis nostris ex operibus supra *cap.* 3. per aliquot quæstiones descriptis, applicemus. De Pactô igitur primo loco videndum erit, ac dicimus Lamias solius pacti expressi nomine, cum diabolô iniri, quamvis nemini nocuerint, ignis supplicio afficiendas esse, juxta *proxime allegat. Novel. Elect. & alios D D. Delr. disquis. Mag. L.* 5. *sect.* 16. *p. m.* 775. *Bodin. de Mag. Dæmon. Lib.* 4. *cap.* 5. *Carpz. Pr. Cr. P.* 1. *Q.* 49. *n.* 13. *& seqq. Berlic. Part.* 4. *Concl.* 5. *n.* 36. 37. 38. & 47. Et quamvis hæc ignis pœna nimis rigida, & æquo durior tam imbecilli sexui esse videatur Godelmanno *Lib.* 3. *c.* 11. *n.* 32. & 33. Joh. Franc. de Ponzinibus *in tr. de Lamiis n.* 45. *& seqq.* Fichardo *Cons.* 124. *quæst.* 3. *vol.* 2. Ludovicô Gilhaus. *in Arb. Cr. cap.* 3. *Tit.* 17. Harprechto *ad Tit. J. de Publ. Jud. n.* 306. *& mult. seqq.* Besoldo *vol.* 2. *con.* 82. *p. m.* 337. *& alii quos citant*, ut propterea in mitiorem partem, de Lamiis, quæ fatentur, sese cum Diabolô fœdus iniisse, fustigandis, relegandis aut aliâ pœna pecuniariâ mulctandis, inclinent: Ista tamen pœna non potest non justissima ac delicto satis proportionata dici, si pacti hujus immanitatem ad veri judicii lancem pendamus. Quid enim abominabilius, quid flagitiosius, quid magis blasphemum & detestandum, in Creatorem & Salvatorem com-

Lamiæ propter solum pactum absque nocumentô datô concremantur.

Pœna ignis in fœminis non est nimis rigida & æquô durior.

committi poteſt, quàm ab eô divortium facere, ipſius clientelam & clementiam ejurare, ejusque merita immenſa pro ludibriô habere, & Sacramenta Eccleſiaſtica pedibus conculcare? Contra verò infeſtiſſimo deſtructori generis humani ſeſe totum mancipare, eum adorare, ipſique ſacrificia, propriorum infantum cruore carneve permixta, offerre, & hoſtem cœleſtis ac terreſtris exercitus ſe declarare? Sanè cùm lex divina iſtos ſceleratiſſimos homines morte è populô ſuo extirpatos velit, cur nos, hâc delictorum frequentia dubitemus Dei voluntatem eâ ſupplicii ſeveritate exequi, quam ſumma ſceleris immanitas repoſcit: Et cæteris hominibus, ne præcipiti lapſu ſpe aut oſtentatione luxuriarum, in dæmonis tendiculas ruant, incuſsâ formidine ſupplicii exemplum ſtatuere. Intuitu igitur tam variorum peccatorum enormiſſimorum ex hoc pactô propullulantium juſtitiæ neutiquam repugnat, nec ab humanitate alienum eſt, incinerari ejusmodi mundi καθάρματα, quò iram Dei, Lamiarum impietate offenſi, ultionemque nobis ſuperventuram amoliamur. Quod certe non fieret, ſi extraordinariâ pœnâ relegationis aut fuſtigationis coercerentur. Quin ejusmodi mitiori pœna, dæmone inſtigatore, ad crudeliora ſcelera in perniciem generis humani magis magisque incitarentur.

Deteſtatio pacti cum diabolô.

Juſtitiæ non repugnat combuſtio ſagarum.

§. IX. Eadem ignis pœna manet lamias, præter pactum, quod cum diabolô habent, ſi nocuerint, ſive pluvias, grandines, fulgura excitando, *de quib. ſuper. cap. 3. Quæſt. 3.* ſive morbos hominibus pecudibusque infligendo *de quib. dict. cap. 3. Quæſt. 4.* per expreſſam Sanctionem Carol. V. art. 109. *præcedenti §. 5. allegatam.* Si verò ſe diabolo non dediderunt & manciparunt, jumentis tamen nocuerint magicis artibus, ac damnum intulerint, tunc non pœna ignis, ſed fuſtigatione cum perpetuâ relegatione puniri debent, modò damnum jumentis datum non ſit tanti valoris, ut furto æquiparetur, tunc enim pœnâ furum tenentur & capite puniuntur Lamiæ. *Berlich. P. 4. Concl. 5. n. 34.* Hominibus autem ſi Lamiæ, pacto cum diabolô non implicatæ, artibus magicis damnum ſive magnum ſive modicum dent, non igne, ſed gladiô ſunt puniendæ. Quæ pœna gladii ad illos illasve extenditur, qui ligulas, *de quib. ſupr. cap. 3. Quæſt. 4. §. 4.* mer-

Præter pactũ ſi nocuerint ſagæ etiam ſunt cremandæ.

Abſq; pacto ſi damnum dederint fuſtigantur aut gladio puniuntur.

Hominibus nocentes gladii pœna afficiuntur.

mentio est facta, nectunt aut nodare cœperint, & in factô deprehenduntur, licet res ludicra videatur, magni tamen momenti est, cùm per eam effectus impediantur matrimonii *Bodin. de Mag. dæmon. L. 4. c. 5. in med. p. m. 396. ubi sex elegantes hujus rei rationes reddit.* Huc referri potest, si saga absque fœdere cum diabolô incantamentis ad alterius amorem capessendum utitur, licet à nonnullis, quasi tales non incidant in pœnas sortilegorum, excusentur, tam in forô Saxon. quàm aliis in locis, gladiô puniuntur: Tum *per tex. l. eorum scientia 4. post pr. C. de Malef. & Math.* ubi quidem gladii pœna expressa non reperitur; dubitandum tamen minimè est, quin eâdem sit afficienda saga pœnâ, quâ illi, qui contra salutem hominum aliquid moliri, aut pudicos animos ad libidinem deflexisse deteguntur, qui capite plectuntur *per §. Item lex Cornel. de sicariis 5. J. de P. J.* Tum etiam, quia plus quàm manifestum est, eorum, qui pharmaca amoris hauriunt, corpus mirè affici, animumque ad insaniam sæpe adigi. Tum quia in ejusmodi incantationibus amatoriis ut plurimùm sacræ hostiæ adhibentur, dæmones invocantur, & alia remedia superstitiosa fidei Christianæ repugnantia usurpantur. *Ghirl. de Sortil. Quæst. 3. n. 16. & 17. & Q. 11. n. 7.* Ad incantationem amoris referunt D D. si quæ Juvenem è longinquis terris in caprô advehi curat, da einen den Jungen Gesellen auf den Bocke holen lässet; quô casu si nocitum fuerit adolescenti, gladiô, si ei nullum damnum illatum fuerit, fustigatione punitur *Magnif. Dn. D. Bechm. in Com. suo ad ff. Tit. ad L. Corn. de sicar. & venef. Obs. pract. 20.*

Pœna nodationis ligulæ.

Pœna dantis maleficium amoris est gladius.

Incommoda ex amatoriis incantamentis.

Pœna earum die die Jungen Gesellen auf den Bocke holen lassen.

§. IX. Superiori *cap. 3. quæst. 4. §. 10.* dixi incantationes ad bonum finem directas Jure Civili tolerari: Jure Canonicô verò minimè. Si quis ergo deprehenditur uti ejusmodi artibus, sive ad morbos curandos, tempestates avertendas, sive ad quodcunq; velit, non quidem ordinariâ, sed extraordinariâ saltem, puta carcere, vel aliâ pœnâ coercetur. Petr. Heigius cuidam mulieri pluvias ac tempestates in bonum finem avertenti pœnam extraordinariam impositam fuisse, testatur *quæst. 39. n. 74.* Dicit tamen Petr. Theodoricus *in Coll. Crim. Disp. 7. th. 6. lit. G. in fin.* pro salute hominum incantationibus utentes nullam corporis pœnam sustinere debere, pronunciasse Scabinos Lipsienses, ejusmodi saltem

In cantationibus ad bonum finem utentes extraordinariâ pœna afficiuntur.

ſaltem hominibus, præcedente ſeveriſſimâ hujus abuſus damnatione, & taxatione per Miniſtros Eccleſiæ factâ, pœnitentiam imponentes, *Coler. deciſ.* 180. *n.* 10. Quod ſi verò utens magicis artibus ad curandum alterum clarâ voce diabolum invocaverit, aut ſubmiſſâ voce in terram proſtratus magiſtrum parvum (ut vocant) oraverit, tunc in eum intrepidè pœnam capitalem, nempè ignis decerni poſſe, demonſtrat Bodinus *de Mag. dæmonon L. 4. c. 5. in med. p. m.* 394.

§. X. In ſuperioribus *cap.* 3. *Quæſt.* 5. de conventibus diabolicis pluribus egi, & dæmonſtravi, ſagas ſæpius a diabolô in Montem Bructerorum deferri. Et tunc, etiamſi prorſus nemini nocuerint, modò de iſtorum viſitatione certò conſtet, atque Lamia pactô cum diabolo initô ad eos inviſendos ſit adſtricta, ignis ſupplicium effugere minime poſſunt *Carpz. Pr. Cr.* P. 1. *Q.* 49. *n.* 23. *Petr. Theodor. in Coll. Cr. dict. Diſp.* 7. *th.* 6. *lit. C.* ubi à Jenenſib. ſecundum hanc ſententiam reſponſum fuiſſe refert, cujus formalia hæc ſunt: daß ſie / weil ſie mit dem Teuffel Verbündnüs angerichtet / umbgangen und zuſchaffen gehabt / auch alle Wallpers-Tage die Täntze beſuchet / mit dem Feuer vom Leben zum Tode zu richten. Dixi, ſi pactô ſit adſtricta lamia, absque hôc enim pactô ejusmodi conventus viſitantem fœminam fortè ſeductam, aut curioſitate, bonô tamen Zelô motam, ſicut ſæpiùs factum ſupra indicavi *ex Ghirlando & aliis*, a pœnâ prorſus immunem Judico.

Pœna conventus diabolic. viſitantium eſt ignis.

Absque pacto viſitans conventus non punitur.

§. XI. Lamias concubitum cum dæmonibus celebrare demonſtratum dedi in prioribus *dict. cap.* 3. *Quæſt.* 6. *per tot.* Hoc loco venit excutienda pœna, quâ propter talem concubitum ſint mactandæ Lamiæ. Dicimus autem illas intuitu ſôlius ſodomiæ, etiamſi diabolo expreſſo pacto ſeſe nondum mancipârint, quæ tamen rarò ſeparatim adſunt, Vulcano conſecrari debere. Ex eâ maxime ratione, quia lege Dei, *Levit. cap.* 20. *v.* 10 qui cum jumento coierit, & *eôd. cap.* 31. ſodomiam commiſerit, & *v.* 10. adulterium patraverit, necari jubetur. Jam verò tanto deteſtabilior eſt ſpurcities ſagarum, quanto deterior eſt is, cui ſuccumbunt. Nam cùm ſint conjugatæ, adhuc verſantur in continuo quaſi concubinatu cum dæmonibus, & ſic non tantum contra ſexum, neque tantum extra

Pœna concubitus cum dæmone.

Propter ſolam ſodomiam ſine pactô facæ ſunt concremandæ.

ſpeciē peccant, ſed & extra genus, quod deteſtabilius & peſſimum omnium carnalium peccatorum eſt *Delr. L. 5. Sect. 7. p. m. 776.* Hinc non eſt mirum, tam atroci delictum atrocem pœnam eſſe adinvetam & ſancitam per *Ordin. Cr. Car. V. art. 116. & Conſtit. Elect. in verb.* ümbgehet / oder zu ſchaffen hat. ſecundum quam ſententiam Rsderunt Scabb. Lipſ. menſ. Febr. aō. 1604. in verb. ſo möchte ſie von wegen ſolcher mit dem Teuffel gehabten Gemeinſchafft auch begangenen und bekanten unmenſchlichen Unzucht/mit dem Feuer von Leben zum Tode geſtrafft werden. Hinc talis commixtio ſatanica ſagarum, (quæ etiam cum diabolō, ſi Bodino credimus, *L. 4. c. 5. p. m.* 382. rem habent, etiam dum Maritis accumbunt) ſi forſan contingat, eas ob prægnantem aliquam rationem ad mortis ſupplicium non depoſci, diſſolvit matrimonium, nec pars innocens poteſt cogi ad ulteriorem cohabitationem *Carpz. in Jurispr. forenſ. P. 4. Conſt. 2. Def. 4.*

Commixtio ſatanica ſolvit matrimonium.

Unum crimen Lamiarum rarò absque alterō eſt.

§. XII. Si ergo unumquodque, ut demonſtratum, Lamiarum crimen ſeparatim ſumtum mortem meretur: Et verò compertum eſt, rarò unum absque alterō eſſe, & ſagas, quæ cum diabolō expreſsè pepigerunt, reas omnium iſtorum ſcelerum ferè, aut certè plurimorum eſſe; *Bodin. de Mag. dæmonom. L. 4. c. p. m.* 382. Aut nimis audaci ingenii calumniâ ludificant leges divinas & humanas: Aut parùm tectō ſtudiō Lamiis patrocinandi flagrant, Iſti omnes, qui ſexum fœmineum deplorandum, & à pœnâ ignis rigoroſâ exculandum eſſe, contra memoratarum legum tenorem, ſtatuunt prætexentes (1) Lamiarum ſenectutem ac decrepitam ætatem; Quaſi ſemper lamiæ eſſent vetulæ, & quaſi profectioris ætatis fœminæ eſſent meliores, quas ego quidem ob diuturnius diabolicæ artis exercitium, & inveteratam in ipſis malitiam, eò duriori eſſe ſubjugandas ſupplicio, judico, quò diutius in miniſterio Satanæ verſatæ fuerunt. (2) Paupertatem, quia ejusmodi mulieres ſæpe domi nec fruſtum panis, nec obolum, quō ſe ſuosque ſuſtentare poſſint, habent, atque harum triſtitiæ & curis, ſi quas ſentit, quibuscunque modis promittendō inſidiatur diabolus. Quaſi verò paupertas ullibi injure à delictis excuſaret, ac non alia vitam tolerandi remedia ſupereſſent, quàm profugium ad Caſtra hoſtis infenſiſſimi ſatanæ, (3) Multitudinem liberorum, quibus alendis non ſufficientes

Refellitur opinio eorum, qui ſexum fœmineum à pœnâ ignis excuſatum cupiunt

1.

2. *propter paupertatem.*

3. *Propter mul-*

entes

entes fagæ, dæmonis, adferentis è cellariis & culinis aliorum cibaria & potum auxilium implorare ſunt coactæ. Quaſi verò lex Civilis parentibus multitudine liberorum oppreſſis non aliô modô ſuccurat, & iis permittat, liberos ſuos vendere *l. 1. & tot. T. C. de Parent. qui filios ſuos diſtrax.* *titudinem liberorum.*

§. XIII. Hactenus de rigore pœnarum, nunc de mitigatione earum agendum erit. Mitigatur autem pœna ignis, vel ob ætatem, vel ob pœnitentiam, vel ob ſpontaneam confeſſionem. (1.) Ob ætatem minorennem, licet aliàs in caſtigandis delictis nullus ſit veniæ locus, *l. 1. C. ſi adverſ. delict. l. auxilium 37. ff. de Minorib.* Nihilominus tamen à rigore legum oportere aliquid reſecari, præſertim ſi circumſtantiæ id expoſcunt, ac ætati Infantili capitalem hujus criminis pœnam remittendam, & ejus locô caſtigationem virgis factam cum informatione in pietate ſincerâ ſubſtituendam eſſe DD. communiter ſtatuunt. Sic Facultas Juridic. Rintelenſis, uti ab Herm. Gœhauſ. *in proceſ. contra Sagas queſt. 17.* accepi, Puellæ cuidam novem vel decem annorum, quo maleficium à matre novercâ edocta, aliquoties cum Magiſtellô ſuô cõſueverat, ac cum matre nocturnos conventus viſitaverat, ſpe emendationis, pœnam virgarum dictavit hiſce formalib. was das Mägdlein betreffen thut / wiewohl aus den Actis offenbahr / daß ſie ihren Leib den Teuffel zu der allerſchändlichſten Boßheit proſtituiret und ergeben / ſo befindet ſich gleichwohl aus Erwegung der Umbſtänden / daß ſie durch ihre Stieffmutter zu dieſem Handel angeführet / und ſolches zu verſchweigen bedräuet worden / ſie auch nicht mehr als 9. oder 10. Jahr alt. Dahero iſt ſie / in Betrachtung ſolcher Umbſtänden / uñ zuvor auß wegẽ ihrer Jugend / pœnâ extraordinariâ zuſtraffen / uñ mit Ruthen zu ſtreichen / auch ihrer ſchweren Sünden durch die Prediger zu erinnern / und darauff redlichen Anverwandten oder andern ehrbahren Leuten zu befehlen / die das Mägdlein in beten Und Chriſtlichen Catechiſmo unterrichten / und in ſtetiger Auffſicht und harter diſciplin bey ſich behalten mögen / und währe zu Wiederbringung und Beſſerung des Mägdleins nicht undienſtlich / daß / wann die Straffe des Feuers an ihrer Lehrmeiſterin der Stieffmutter vollnſtrecket würde / man ſie zu gleich hinaußführen / dem ſupplicio zu ſchauen / und in den Gedancken lieſſe / als ſolte ſie mit gleicher Straffe beleget werden /

Mitigatio pœnæ ordinariæ fit.

1.

Ob Ætatem minorennem.

Exempl. puellæ 9. annorũ cui à Facul. Rintelenſi dicta fuit caſtigatio virgarum.

damit hierdurch die Erkäntnüs ihrer Mißhandelung desto tieffer eingebildet/ und sie Ihr lebtage desto gröſſern Abscheu ob solchen Sünden trüge / und wann solches verrichtet / könte alsdann das Mägdlein mit gemeldter pœnâ extraordinariâ beleget / und sie obgesetzter Massen andern befohlen werden V. R. W. Quod si autem puellæ puberem ætatem excesserint, diabolo se devoverint, ac rem cum eô habuerint, nihilominus ordinaria ignis pœna locum habet, uti in tali casu Responderunt JCti Jenens. mens. Aug. anno 1609. Qui puellæ cuidam 16. annos nondum egressæ, quæ ad persuasionem sceleratissimæ matris malificæ à teneris statim annis, anno ætatis 10. & 6. mense se diabolo, in formâ venusti juvenis comparenti, acceptô arrhæ loco thalerô, Deum abnegando, devoverat, & posteà ultra sexennium cum dæmone non solùm cum eô nefandissimâ libidine sæpius utendo, sed & synagogas diabolicas visitando, commercium habuerat, nullô tamen damnô dato ignis supplicium simpliciter per sententiam imposuerunt hisce verbis: Daß sie wegen Vergessung ihres Christlichen Glaubens / und daß sie mit dem Teuffel Verbündnüß angerichtet / umbgangen und zuschaffen gehabt / auch alle Wallpers-Tage die Täntze besuchet / mit dem Feuer vom Leben zum Tode zu richten. *Petr. Theodor. in Coll. Cr. Disp. 7. th. 7. lit. C. in fin.*

Puellæ cuidam 16. annos habenti pœna ignis ordinaria imposita.

2. *Mitigantur pœnæ ob Pœnitentiam & spontaneam confessionem. Distinctio.*

§. XIV. (2.) Ob pœnitentiam & spontaneam confessionem quando Lamiis pœna ignis venit mitiganda, videndum cum Bodinô *de Mag. dæmon. L. 4. c. 5. p. m. 406.* An sagæ accusatæ & à Judice præventæ maleficia fateantur, & pœnitentiam agant: An verò nec accusatæ nec præventæ à Judice, à maleficiô desistant, & pœniteât. Priori casu, nec pœna ignis Lamiis mitiganda est, multòminus remittenda, sed Rea præcisè ignis supliciô punienda est; Aliàs enim quivis reus cujusvis delicti accusatus & incarceratus pœnam ad minimùm ordinariam effugere posset. Nam si homicidam, & si resipuerit jubemur morte afficere, cur eandem effugiat Magus vel Saga millies sceleratior. At posteriori casu, si lamiæ nondum accusatæ vel incarceratæ veram agunt pœnitentiam, à fœdere cum diabolô initô recedendo, pœna ignis ordinaria mitigari, in ejusq; locum pœna mitior, nempe gladii, substitui potest. *Carpz. Pr. Cr. P. 1. Q. 49. n. 79.* ubi in consimili ferme casu, quo Lamia nondum incar-

incarcerata vel accusatâ recedendo à pactô cùm diabolo initô pœnitentiam egerat, Responsum Scabin. Lipsiens. refert. his verbis Hat E. G. in scharffer Frage bekandt und ausgesaget / daß sie George Heidemans Pferde und Viehe / desgleichen Johan Ackermannen ein Kalb und braun Pferd / durch Zauberey getödtet / und wäre von Gott dem Herren abgefallen / mit dem Teuffel ein Verbündnüs gemacht / gebuhlet und vielfältige Gemeinschafft / nach fernern Inhalt Ihrer Aussage / gehabt. Sie hätte aber sieder den gehaltenen Tantz in der Walburgs Nacht des 85. Jahres Ihren Buhlen / Strauß genandt / abgeschaffet / denselben entsaget / und sich zu Gott wieder bekehret; So bleibet sie mit der ordentlichen Straffe des Feuers verschonet / sie wird aber gleichwohl von wegen Ihrer Verbrechung / mit dem Schwerdt vom Leben zum Tode billich gestrafft. V. R. W. Sæpius quoque Lamiæ seriâ pœnitudine ductæ Deum ex animô invocantes, â Magistratu, qui mitigandi jus habet, precibus impetrant, ut non vivæ, cùm facilè lenta mors ob magnos cruciatus in blasphemias ac desperationem Reas adigat *Godelm. de Mag. Lib. 3. cap. 11. n. 2.* igni, sed prius vel strangulatæ, prævocatæ aut decollatæ in rogum mortuæ projiciantur: Cujus executionis ipse spectator in patriâ meâ adfui. Quibusdam in locis dicit Gœhaus. *in proc. contr. Sag. Tit. 12* Lamiis, pœnitentibus præprimis, ne in desperationem agantur, pulvis tormentarius pectori illarum appenditur, cujus concussione subitò extinguuntur. Impœnitentes autem, & in crimine pertinaces sagæ, absque subsidiô non immeritò cremantur, cùm cesset ratio, cur pœna legibus decreta mitigari debeat. *Gœhaus.*

Magistratus, intuitu pœnitentiæ, non raro sagas primas usquàm rogo imponuntur, decollari aut strangulari jubet. Pulvis tormentarius in quibusdam locis sagis appenditur.

§. XV. Non rarò accidere solet, ut mors lamiæ incarceratæ Executioni publicæ antevertat. Quô casu advertendum: An saga moriatur, antequam sit convicta & confessa? An verò sufficienter convicta & confessa in vinculis mortua reperiatur? Priori casu, cùm quisque præsummatur bonus, qui non probatur malus, captiva vel ægritudine, vel debilitate aut incommoditatibus carceris mortua esse putatur, sepultura non est deneganda cadaveri: Sed Judex in talem non legitimè confessam aut convictam læviens, peccat mortaliter, & actione injuriarum conveniri a defunctæ propinquis potest. Quia autem hoc exceptum crimen est, utpote cujus atrocitas morte non finitur, sed contra

An saga in carcere mortua sit sepelienda?

mortuum in eô procedi poteſt, monet Delrio: *Disquiſ. Mag. Lib. 5. Sect. 19.* ut Judex cum proteſtatione ſepulturam concedat, quod velit litem cœptam contra mortuam proſequi, ſeu agendô, in locis, ubi bona confiſcantur, ad bonorum confiſcationem, aut ſaltem memoriæ damnationem, & ut corpus ſepultum poſt condemnationem poſſit extrahi, & oſſa comburi Delr. *dict. loc.* Poſteriori verò caſu, ſi ex indubitatis indiciis ſufficienter convicta eſt, & præſumtio contra ſagam militat, illam ex conſcientiâ ſceleris ſibi ipſi, aut diabolum manus violentas intuliſſe, veſtigia pue ejus rei in cadavere ſi deprehenduntur, non debet ſepulturæ tradi, ſed rogo imponi. Sicut in contingentiâ facti pronunciatum refert Georg. Godelman *de Mag. & Veneſ. Lib. 3. cap. 11. n. 24.* hiſce formalib. N. der Zauberer bekand und ausgeſagt / daß er mit ſeiner Zauberey ſeines Nachbahren Haußfrau und Kind ümbs Leben gebracht / und er ſolches genugſam iſt überzeuget / und hernacher mit dem ümbgedreheten Halß im Gefängnüs todt gefunden worden. Demnach erkennen und ſprechen wir N. darauf vor recht / daß der todte Cörper / nach dem er für das öffentliche peinliche Halßgerichte fürgeſtellet / zur Wahlſtatt geführet und daſelbſt andern zum Abſcheu verbrand werden möge. V. R. W.

Poſt condemnatione mortua reperta lamia conſcientiâ ſceleris mortem ſibi ipſi conſciviſſe putatur, & crematur.

Nunc pedem quoque in proceſſu ſiſto criminali. Debonis Lamiarum relictis quæ dici prolixè ultimò nunc locô potuiſſent,

—— —— ſpatiis excluſus iniquis

Prætereo, atque aliis poſt me memoranda relinquens Te aperti pectoris Lectorem, à ſiniſtrâ, quantum confido interpretatione alienum, quæſo, conatus noſtros quales quales in tam ſpinosâ & abſtrusâ Lamiarum materiâ, ſi forſan humani quid in eâ paſſus fuero, genuinô dente mordere parcas, memor, memoriam habere omnium & penitus in nullô peccare, divinitatis magis, quàm mortalitatis eſſe, *l. 2. §. 14. C. d. V. J. E.* Deum interim T. Opt. Max. qui hactenus ad fraudes & technas diaboli rudi minervâ depingendas elargitus eſt vires, ſupplicibus ſupplex veneror precibus, velit ſub umbrâ alarum ſuarum à diaboli inſtrumentorum, Lamiarum læſione TE, omnesque Bonos una cum Domibus eorum ſartos tectosque ſervare.

De-

Decas Corollariorum de bonis Lamiarum.

I.

Lamiæ ante executionem pœnæ pœnitentiam agentes testamentum de bonis condere possunt.

II.

Ante conversionem testamentum factum non valet, sed hæredes succedunt ab intestatô.

III.

Lamiarum bona non sunt fisco applicanda, per Const. Car. V. art. pen.

IV.

Sed hæredibus, tam descendentibus & ascendentibus, quàm collateralibus sunt relinquenda.

V.

Nullus potest dari Jurus texus speciatim in Crimine Veneficii confiscationem bonorum imperans.

VI.

Casus in l. 3. C. de Malef. & Math. *de Magô in Insulam deportandô* post ademtionem bonorum, *est specialis.*

VII.

Hodie ex conscientiâ criminis & metu condemna-

demnationis seseinterficientium Lamiarum bona non publicantur.

VIII.

Lamiarum hæredes, post perpessum Reæ ultimum supplicium, non tenentur ad sumtus refundendos à fiscô in processum Criminalem erogatos.

IX.

Fiscus ob frequentiam hujus criminis, expensas in processum factas non solùm deducere potest, sed & privilegium habet aliis Creditoribus prius.

X.

Hæredes ad damna à Matre hominibus data, è bonis relictis resarcienda, si petitur à parte læsâ, quatenus ad eos pervenit, obligantur.

Colluvies anuum est, Lamiasque vocamus,
Erinnys
Eructat stygiis faucibus ipsa suis.
Theiologo, Physico, Themidos sacra jura secutis
Heu! quântas turbas impia turba ciet?
Scilicet id nobis sat vasta volumina monstrant,
Quæ crebrò Doctûm gnava caterva tulit.
Walburgeriades, Tua Dissertatio pandit,
Ecquid in horrendas jura finant Lamias. (lim
Hinc Tibi nunc laudes surgunt, numeraberis o-
Jure præeximios inter & ipse Viros.

In honorem Dn. Resp. J. U. C. Amici sui dilectissimi hæc adponebat

PRÆSES.

NOBI-

NOBILISSIMO

VVALBURGERO,

Sacrarum legum cultori
curioſiſſimo,
juveni ob ſingularem modeſtiam
maximè commendabili,
de invidendis in ſtadio juridico pro-
greſſibus gratulatur,

FELICITER!

adclamans

GUERNERUS ROLFINCIUS,
Phil. & Med. D. Pract. ac
Chimiæ P. P. Academiæ
Senior.

Es gnavus Themidos cultor,
non eſſe quod audis,
VVALLENBURGERE,
negligis.
Fit tibi debitrix Dea, compenſa-
bit & amplo
cultum ſui olim præmio.

Nobilissimo praclareq; docto Domino
Michaeli Paridi VValburgero

Amico suo ex asse colendo.

Sic erat in fatis; quum dogmata ferre togatus
Conaris doctis, quæ sacra saga cavet.
Ecce tuum comitatur honos scriptum: Dico, tandem
Evades sagis censor, id opto! Sagax.

Memoriam sui recommendare
voluit

Johannes Georgius Simon D.

Frag nicht ob Hexen seyn und eine solche Rotte/
Die stets dem Teuffel stehe durch schaden zu gebotte/
Und braucht den Teuffel wohl/ der Teuffel braucht auch sie/
Wenn er will Schaden thun dem Menschen und dem Vieh;
Der Teuffel ist ja selbst der Hexen Obermeister/
Der Hexen Junckherrn seynd die Schadenfrohen Geister/
Ihr Wort ist/ wenn der Bock des Teuffels runde geht:
Beschädige/ trutz der/ die nicht nach Schaden steht.
Die Drachen-Huren sind des Teuffels Reichs-Vasallen/
Und können treflich wohl mit ihrem Drachen stallen.

Wenn

Wenn sie auf/Brand und Mord und alle Büberey
Bedacht sind. Frage nicht/ob eine Hexe sey:
Viel haben zwar das Wort der Teufels-Brut geführet/
Und ihre Hexerey mit Kleister überschmüret/
Ob wär es nur ein Traum/der Keinen nie gesehrt/
Und sey erbarmens mehr/als scharffer Straffe wehrt.
Was Traum? des Teuffels Schaum sind die verfluchten Leute/
Die sich Gott stellen ab und geben sich zur Beute/
Zum Dienst und Eigenthum den Zaubermeister hin/
Drey Heller sind der Lohn offt/ist das nicht ein Gewinn?
Was darf man vor beweiß? Es reden selbst die Sachen/
Die manchen seine Haar zu berge stehend machen/
Wenn man von Hexen hört und siehet selber an
Wenn sie verurtheilt seynd und werden abgethan.
Wer sicher leben will vor diesem angst-Geschmeiße/
Der sehe zu/daß er sich von der Sünde reisse/
Und nehme Gott zum Wall/zur Burg/zur Sicherheit
Und weich aus dieser Burg nicht einer Haare breit.
Trutz Hexe schade dem/der sich Gott hat zum Walle
Und fester Burg gemacht! Trutz deinem Hexen-Schalle
Trutz deinem Mord-Gethön und Segen-sprecherey!
Ein Frommer weis/daß Gott sein Schutz und Segen sey.
Drüm kan ich euren Fleiß Herr Schwager billich loben/
Daß ihr mit dieser Schrifft zurücke habt geschoben/
Was man der Hexerey zum besten auffgesetzt
Und sein Gewissen sich mit solcher Schrifft verletzt.
Ihr weiset euren Fleiß und unverdroßne Mühe/
Die ihr auf euer Recht gewend habt spat und frühe/
Ihr weiset daß ihr seyd dem Menschen-Feinde feind/
Wer Hexen dient und weiß/wird nicht seyn euer Freund.
Habt ferner euren Gott im Hertzen und vor Augen
Und last das rechte Recht in euren dienen taugen/
So hafft zur Straff an euch kein harter Hexen-Knall
Denn Gott ist euer Trutz/Schutz/Segen/Burg
und Wall.

Dieses eylfertigte seinem Vielgeehrten Herrn
Schwager auf Bitte aus
M. JOHANN: CHRISTOPH: Müller//
Pastor in Willerstät.

WALPURGIS Abend ist in aller Welt berühmt/
Da das verdamte Volck die tollen Täntze häget/
Wenn sich die Stadt sonst hat zur Ruhe hingeleget/
Und sich des Höchsten Schutz ergeben/wi sichs ziemt.
Die hochgelehrte Welt stimmt noch nicht überein/
Ob sich der Hexen Leib dem Blockers Berge nahe/
Und einen Besem-Ritt durch Luft und Tuft anfahe/
Weil der verdammte Geist sehr vil wirckt nur zum Schein.
HERR WALBURGER der schaut die Sache reifflich an/
Er lehrt/was möglich sey/den unbeleibten Geistern/
Und wie man handeln sol mit solchen Hexenmeistern.
Wol dem/der gleich wie Er/das Recht durchblätern kan.

Mit diesen Wenigen wolte des Herrn Walburgers/ gelehrte Schrifft/wolmeinend beehren

Die Sämbtliche Tischgesellschafft.